RAYMUNDI CUNICHII

RAGUSINI

EPIGRAMMATUM

LIBRI QUINQUE.

ACCEDIT

ENDECASYLLABORUM

LIBELLUS.

PARMAE

EX PUBLICO TYPOGRAPHEO

MDCCCIII.

EDITOR

AD LECTOREM.

Posteaquam e vivis decessit vir ille graecis atque latinis litteris summe praeditus Raymundus Cunichius, nihil antiquius fuit praestantissimo illius Collegae Josepho Marotto quam ut Cunichiana ingenii monumenta, quae nondum in manus hominum venerant, ab interitu vindicaret. Atque ipse quidem in eo erat ut probatiores quasdam amici sui lucubrationes emitteret, quum

Pius VI Pontifex Maximus eum sibi aerumnosi ac miseri per Italiam Galliamque itineris, in quo mira animi magnitudine ad Superos transiit, socium adjutoremque arcessivit; eumdem postea Pius VII, statim ut ad supremam rei Christianae gubernationem divinitus est evectus, gravissimo atque amplissimo munere Scriptoris sui latinarum epistolarum, deinde vero libellorum ad Principes decoravit. Quum igitur Marottus Parmam venisset, atque hic aliquot dies cum aegrotante Pontifice constitisset, perhumaniter mecum egit, ut Cunichii Epigrammata ac Theocriti Idyllia ab ipsomet latinis expressa versibus, quae meae fidei commendavit, Parmen-

sis hujus Typographii formis edenda curarem. Theocriti editione non sine suffragio doctorum hominum jam vulgata, nunc Epigrammata prodeunt. De quorum bonitate ac praestantia nihil attinet dicere, quum plane compertum testatumque sit, Cunichium, dum viveret, Roma judice, principatum in hoc poeseos genere obtinuisse.

EPIGRAMMATA

LIBER PRIMUS.

EPIGRAMMATA MORALIA.

I.

Ad Postumum, ut facile ferat servitium uxoris.

Ut semel injecit fraenum, te, Postume, conjux
Qua lubet, arbitrio versat agitque suo.
Fer bene servitium saltem; facilisque volensque
Id patere, invitus quod patiere tamen.

II.

De fatua Leonillae pulchritudine.

Ingenium vultu prodat mihi si qua placere
Vult: fatuo vultu non placet ipsa Venus.

III.

Monitum ad senes.

Qui senuit, nulli jucundus postulet esse:
Hoc satis est, nulli si queat esse gravis.

IV.

Ad Aulum nimium sibi, nihil amicis consulentem.

Ne tibi quid noceas, dum consulis, Aule, sodali,
Prospicis. hoc prudens diceris egregie.
Malim ego sed prudens dici minus; atque sodali
Ipse mei oblitus consuluisse meo.
Qui nimium cavet usque sibi consultus, amico
Improbus interdum non cavet ille satis.

V.

Ad Aulum, ut alios juvet, quin tamen noceat sibi.

Qui sibi obest sapiens, frustra sapit. Aule, juvato
Sic alios, noceas ne tamen ipse tibi.

VI.

De Aegle per aetatem deformata.

Multas post hyemes longinquo ex orbe revertens
Aeglem ut conspexit Lolius, attonito
Olim quam similis miroque ardebat amore,
Atque suam suerat saepe vocare deam;
Tabentesque genas vidit, rarumque capillum,
Incurvum senio corpus et indecori;
Haesit, vimque aevi contemplans, atque furores
Mente suos versans in memori, erubuit;
Avertitque alio vultus, primamque salutem
Vix potuit moesto dicere cum gemitu.

VII.

Qua statura vir, qua mulier sibi probetur.

Nec mihi vir parvus, mulier nec magna probatur.
Robore nam parvus, magna lepore caret.

VIII.

*Ad Gelliam publico carentem
ob mutatam in deterius fortunam.*

Fortunam ploras mutatam, Gellia; lucem
Et fugis in vidua sola puella domo.
Quid? sperni metuis curru modo vecta superbo,
Ire vias urbis si videare pedes?
Parce metu: non te spernet, te, Gellia, visa,
Fortunam si quis dixerit esse levem.
Atqui nil aliud sapiens pote dicere. stultus,
Gellia, quid dicat quaerere stultitia est.

IX.

*De Phyllidis ingenio in amatoribus aucupandis
atque exagitandis.*

Blanda tibi est Phyllis, quod se non credit amari;
Credet ubi, fiet jam tibi blanda minus.
Inde ubi firmato jam sat confidet amori,
Saeva erit, et duris sentibus hirta magis.
Hoc habet ingenium: quos cepit blanda, severis
Implicitos vinclis torquet acerba viros.

X.

Ad matrem nimium in custodienda prole sollicitam.

Narcissum quondam sevit formosa Lycoris,
  Eduxit curis sedula et omnigenis.
Dein verita est multo surgentem germine florem
  Ne sol, ne pluviae laederet imber aquae;
Abstrusitque abdens tecta in penetralia. longum
  Nec tempus, laetus langüit ille vigor,
Amissae frondes terram stravere; Lycoris
  Florem, dum servat, perdidit ipsa suum.
Hanc tibi narrari fabellam credito, mater,
  Prolem quae nimia sedulitate necas.

XI.

Qua trutina pensanda laus hominum sit.

Ne tibi nobilitas imponat, ne tibi census;
  Metire ingenuis moribus, Aule, viros.
Crede mihi, hac trutina si penses, saepe erit, Aule,
  Fossorem ut magnis regibus anteferas.

XII.

Cujusnam formae uxor sit a Quinto deligenda.

Nec pulchram haud pulcher, nec foedam ducito, Quinte,
  Uxorem; forma si qua sit at media.
Foedam non poteris tu longo tempore, teque
  Longo non poterit tempore pulchra pati.

XIII.

Quid sibi propositum habeat
in satyra scribenda.

Haud hominum insecter quenquam. peccare videntur
  Quae mi homines tantum scribere, Lyda, juvat.
Probra loquor, tacito sed nomine; turpior unde
  Sit per me nemo, verum aliquis melior.
Scilicet agnorit qui se, maledictaque vitans
  Mores ad laudem verterit ipse suos.

XIV.

In idem argumentum.

Lyda, meo agnoscet qui sese in carmine, laesum
  Audebit nemo se tamen esse queri.
Nam laesum incipiet si quis se dicere, probrum
  Vesana incipiet prodere voce suum;
Quodque ibat vacua telum sine vulnere in aura,
  Obvius ipse ultro scilicet excipiet.

XV.

Ad lusorem se nec in victoria
nec in jactura temperantem.

Gaudia qui victor prodit, victusque dolorem,
  Aule, suum, ludo, si sapit, abstineat;
Quo res cunque cadat, victor victusque feratur
  Ne levis, et famam prodigat ipse suam.

XVI.

Ad Lydam, ut sibi minime sua videnti loco speculi sit.

Cuncta videt, sese ipse oculus non cernit. imago
Vera est humani scilicet haec animi.
Nempe videt, mea Lyda, alios, se non videt ipsum,
Sit tamen etsi acri praeditus ille acie.
Hoc ego me ostendi cupio mihi; teque rogare
Haud cesso ut speculi sis mihi saepe loco;
Dicere nec parcas quae pecco; quae tibi visa,
Ipse, mihi nimium proximus, haud video.

XVII.

Cur Ponticus in magno censu pauper sit, Poeta in parvo dives.

Dives ego parvo in censu, tu, Pontice, magno
In censu es pauper scilicet egregie.
Multa tibi desunt, contra mihi multa supersunt;
Tu tibi multa cupis, mi cupio ipse nihil.

XVIII.

De inani Opimii laetitia in divitiarum affluentia.

Divitias nactus fatue laetaris, Opimi.
Divitiae at multis multa tulere mala.
Utque ferant aliud nihil, istam num leve censes
Esse malum, tulerunt quam tibi laetitiam?

IX.

Ad Postumum in improvisis opibus insolescentem.

Plorabas pauper: subito nunc dives inani
Exultas foede, Postume, laetitia.
Usque levi pluma levior, sursum atque deorsum
Fortunae volitas ludibrium instabili.
Fac virtus animum firmet: variantia rerum
Jam poterit mentem nulla movere loco.

XX.

Ad Gelliam singula male consilio gerentem.

Quidquid agis, quamvis perparvum perque pusillum,
Expendis longo, Gellia, consilio.
Ut quaeque est, omnem rem cura: multa geruntur
Pol melius nullo, Gellia, consilio.

XXI.

Ad Ponticum stulte plurima concupiscentem.

Stulte optas dives tibi rerum plurima, nec scis
Quam toti praestet, Pontice, dimidium.

XXII.

Longus amor in pretio habendus.

Nil meruisse, Albi, veterem de te inquis amicum.
Quid? longus meriti non habet instar amor?

XXIII.

De Rullo amicitias vitante.

Rullus amicitiam vitat, cogatur amici
Ne qua olim in rebus taedia ferre malis:
Nec scit amicitiae cultores dulcis amici
In rebus capiant gaudia quanta bonis.

XXIV.

Ad Eunum, ut non pulchra tantum, sed utilia etiam carmina scribat.

Scribe aliquid prosit quod moribus, Eune: libellos
Odi, ubi nil pulchro in carmine frugis inest;
Dux ubi virtutis, vitaeque magistra poësis,
Lena velut, dictis pectora blandiloquis
Pertentat, nervosque animi succidit: ut ille
Sirenum Siculis cantus in aequoribus,
Quem sapiens Laertiades, multo vafer astu,
Vix potuit salvis puppibus effugere.

XXV.

In eos qui suorum tantum commodorum studio ducuntur.

Si sua quisque sibi curat modo commoda; si nil
Largitur, praesens ni referat pretium;
Si tantum proprio semper ductatur amore;
Scin' quid jam fiat vita? latrocinium.

XXVI.

De viri senis amicitia.

Turpe seni lascivus amor, vesana libido
  Ridendum flammis cum ciet indomitis.
At siquem, pulchro conspecta in corpore, virtus
  Ducit ad ingenuae foedus amicitiae,
Pacatumque animi, servantem et jura decori,
  Et nusquam sancti non memorem officii;
Hunc siquis ridet juvenum, scit corporis unas,
  Ignorat mentis, perditus, illecebras.

XXVII.

Amicitiae laus.

Antra colat solus, montesque, ac lustra ferarum,
  Qui pulchrae foedus nescit amicitiae.
Nos decet alterni sanctum certamen amoris,
  Quo nihil est usquam dulcius aut melius;
Quo sine regna mihi nolim, nec me juvet ipsa
  Posse deûm in coetu vescier ambrosia.
Sic sum: jucundo fructus et commoda amico
  Nulla ego praetulerim, nulla ego contulerim.

XXVIII.

Felicitas ex animo.

Felix quisque animo est. animus quem deserit, ampla
  Sit licet, haud illum res juvat ulla tamen.

XXIX.

De artis atque ingenii ad doctrinam necessitate.

Ingenio tantum qui fidit, negligit artem;
Unum se praefert millibus innumeris;
Pro certis incerta probat, notumque relinquit,
Ignotum, nulla est qua via, tentat itér.

XXX.

Ad Gelliam,
ut formidinem inanem ex animo excutiat.

Mente viros aequas: animis ingentibus aequa,
Gellia, ne laudis pars labet ulla tuae.
Vulgares timeant umbrasque aurasque puellae:
Tu tibi, quod ratio jusserit una, time.
Haec, mente ut tenebras expellit, sic et inanes
E toto pellat fac tibi corde metus:
Ne, si mente marem videam, non corde, vocare
Te merito incipiam, Gellia, semimarem.

XXXI.

In illud Terent. And. II. 1. Quoniam id fieri quod vis non potest, velis id quod possit.

Quae tibi vis quando non fiunt, quod potes unum,
Tu fac quae fiunt ut tibi, Lyda, velis.
Seu tibi res, rebus seu te submiseris ipsa,
Usque tibi prona vita feretur aqua.

XXXII.

De se laeto animo vivere cupiente.

Lyda, velim nunquam non laetus vivere; at illa,
Quam faciat verax laetitiam ratio.
Ipsa etiam, abscissum gnati dum portat Agave
Saeva caput, laetis vocibus exululat.

XXXIII.

Qua ratione dignosci hominis natura possit.

Difficilem dicit Varum Corvinus; eundem
At contra jurat Glaucia perfacilem.
Quid credam? credo falli ambos; dicere utrumque
Talem illum, qualem senserit ipse sibi.
Vulgus ego quaero qualem se praestet in omne,
Cujus scire volo quale sit ingenium.

XXXIV.

In senem verbis lascivientem.

Cana aetas quoties verbis lascivit, inersque
Ipsa, rapit calidos in vitium juvenes;
Bile mihi tumidum fervet jecur, iraque menti
Continuo flammam subjicit indomitam.
Lentus enim quisnam possit perferre patique,
Quorum aliena solet vita regi monitis,
Flagitii monstrare vias, ultroque ruenti
Latum iter in praeceps pandere nequitiae?

XXXV.

Ad Meniscum immeritis omnia donantem.

Perdere te credis, quae donas, cuncta, Menisce;
Et perdis. donas cuncta etenim immeritis.
Quod si promeritis donares, nulla profecto
Tempus in omne foret res tibi salva magis.

XXVI.

Ad Crassum connubio vili domum dedecorantem.

Quo ruis? ignota vilem de gente puellam,
Nec ditem, properas ducere, Crasse, tibi?
Nec celerem ingenio, nec pulchram corpore, nec quae
Esse aliquo possit grata lepore viro?
Hanc tibi connubio festinas jungere? teque
Atque tuam stultus dedecorare domum?
Quo ruis, infelix? parce o demittere tete
In praeceps, nequeas unde referre pedem.
Heu loquor incassum! Ratio quae praecipit, heu heu
Despuit, ac vecors omnia difflat Amor!

XXXVII.

Laudat invidiam ex virtute coortam.

Invidiae metuo flammam, cumque, Aule, coorta est,
Demittoque aures, et misere excrucior.
Invidiam sed enim, virtus quam gignit, opimam
Esse reor laudem, non reor invidiam.

XXXVIII.

Ad Gaurum a Phyllide deceptum.

Imposuit mire Phyllis tibi, Gaure; fefellit
Mire vafra suis te, malecaute, dolis.
Disce, miser, nimium argutis non credere ocellis,
Nec vultu, et verbis fidere blandiloquis.
Nosce prius quid ames: praecedat lenta, viamque
Exploret ratio, pone sequatur amor.

XXXIX.

Ex Graeco Æsopi.

Assa super prunis, igni gliscente, sonorum
Stridorem expirans forte dabat cochlea.
Quam puer adspiciens, ac mirans, pessima, dixit,
Cantas, igne tibi dum perit usta domus?
Intempestive quod fit, nil posse probari,
(Phylli, tibi hoc dico) fabula parva docet.

XL.

De se senescente.

Nunc ubi mi placidi mores? ubi mite, nec ulli
Non ultro arridens comiter ingenium?
Fallor? an aetatis vitio jam pectus acescit?
Mens et habet senio perdita dulce nihil?
Hoc est nemo mihi quod jam placet; omnibus ipse
Hoc est mutatus quod male displiceo.

XLI.

Ad Postumum benefacta in se minime agnoscentem.

Non ego par cupio reddi mihi, Postume; gratum
Esse tibi cupio quod bene promerui.
Non mercor si quid feci bene; pro benefactis
Agnosci tantum sed benefacta volo.

XLII.

In Marcum ingratum.

Quod bene, Marce, tibi feci, sentire putabam.
Tam sentis, sentit quam lapis, aut frutices.
Sed bene quod feci non poenitet. una voluptas,
Quam cepi feci cum bene, Marce, sat est.

XLIII.

Ad Aulum, ut a foemina pellaci caveat.

Aule, istam alloqueris, multos quae vafra fefellit?
Nil metuis, multi queis periere, dolos?
An nescis blandi quidnam pellacia vultus,
Verba quid hyblaeo dulcia melle magis,
Quid ducta ex alto suspiria pectore possint,
Uda quid haud veris lumina lacrimulis?
Has habet illa artes; his te, malecaute (capessas
Ni celer, Aule, fugam) vinciet illecebris.
Carpe fugam, moneo; primo at fortasse paratis
Congressu haesisti captus in insidiis.

XLIV.

Praesagia infausti conjugii.

Quam misere optasti, nubit tibi denique, Tulle,
Gellia. tu divis tete ais esse parem.
Gaude sorte tua nunc dum licet: ocyus umbra,
Ocyus et vento sors fugit ista levi;
Nec quidquam superest parvo post tempore, praeter
Deflendum longo tempore servitium.

XLV.

De tribus curis in amatoribus.

Haec sit cura prior, ne quo capiaris amore;
Posterior captum nesciat ut mulier.
Quod si captus eris, captum si sciverit, haec sit
Tertia cura, feras ut miser omne malum.

XLVI.

De Gellia senescente.

Cultum animi spernens olim, fulgore juventae
Purpureo et roseis Gellia freta genis,
Formosa in facie venientis prima senectae
Vidit ubi haud dubiis turpia signa notis;
Me miseram, dixit, quo flos fugit ille? remota
Quid mi, ne spernar, linquitur heu specie?
Dejecitque oculos moerens, vultumque rigavit
Nequidquam seris anxia lacrimulis.

XLVII.

Amor amoris nomine indignus.

Quid miseram incestus captas vexasque Lycorin?
Cara est una, unam, Cinname, dicis amo.
Iste amor est? isto saevus venator amore
Quam sequitur dici possit amare feram;
Quam sibi vult ipsi, cujus sua commoda quaerit
Extrema infestus, Cinname, pernicie.

XLVIII.

Ad Tullam se probam non haberi querentem.

Tulla, doles, de te multi quod multa loquuntur,
Qualis et es, nemo te putat esse probam.
Parce queri: tua tu debes tibi probra, quod ipsam
Rem tantum curas, negligis at speciem;
Et proba quandoquidem es, credis te posse probari,
Nil operae impendens ut videare quod es.

XLIX.

Unde in amicitia voluptas.

Fructus amicitiae quinam sit, Postume, nescit,
Metitur fructu quisquis amicitiam.
Commoda non tangunt mea me tam, fidus amici
Quam, mea qui curat commoda, tangit amor.
Hinc oritur, completque animum jucunda voluptas,
Unam ego quam cunctis fructibus antefero.

L.

Ad Gallam de conjuge obsequiis pelliciendo.

Quod conjux te, Galla, tuus fugit, anxia moeres,
Atque tuam defles sola relicta vicem;
Dein reducem culpas, questu nec parcis amaro,
Questu at (crede mihi) nemo coactus amat.
Quin tu illum vultu, dulci quin blanda loquela,
Omni quin tu illum pellicis obsequio?
Conjugio soli cur fidens negligis artem,
Illum rivalis qua tenet arte tua?

LI.

De Sapientis judicio in hominum fortunis comparandis.

Multi regna tenent digni servire: tenere
Dignum hunc regna premit fors mala servitio.
Intus ut est hominem sapiens videt: inspicit in se
Qui sit, non quali quisque loco sedeat;
Et dominis famulos praefert, magnumque dynastam
Saepe inopi ridens posthabet agricolae.

LII.

Cur Cinna non vocandus fortis quod sibi vim intulerit.

Tulle, vocas fortem, qui sese Cinna peremit.
Fortis dura (reor) non fugit, at patitur.

LIII.

Ad Phyllida nimium formae suae fidentem.

Inflat, Phylli, tuae nunc te fiducia formae,
Multus et in roseo qui viget ore lepos.
Nec cernis Pholoen, morbo quae lurida pallet,
Nec Meram, incana quae tremit alba coma?
Quarum olim formae primam tulit utraque laudem,
Nunc monet exemplo, quam breve forma bonum.

LIV.

De formae mutabilitate.

Forma bonum nihili est: vento fugit ocyus omni.
Illa etiam magno Tyndaris orta Jove,
Illa deûm atque hominum bello memoranda bilustri,
Heroum et tantis incluta funeribus,
Foeda situ veteres frustra quaesivit amicos,
Flevit et in vacua sola relicta domo.

LV.

Quaenam bona sint vere judicanda.

Quae tu summa vocas, Varro, bona, nec bona dico,
Sed leve Fortunae ludibrium instabilis.
Nil census et opes, nil tecta ingentia miror.
Quaero aliquid fiat quo melior dominus;
Quaero aliquid, possim quo viso dicere tandem:
Hoc Varro haud alii debet, at ipse sibi.

LVI.

De juventutis ac senectutis flagitiis.

Ignosco juveni: miror frigente senecta
 Quisquam si quidquam flagitii faciat.
Alter enim prope vi trahitur: contra ruit alter
 Sponte sua foedum perditus in facinus.

LVII.

Lascivus amor cur non vocandus amor.

Velle bonum lascivus amor si nescit, amori
 Lascivo cur sit, Cinname, nomen Amor?

LVIII.

Ad Tullam in officio peccare nimium dubitantem.

Tulla, rogas quidnam pecces: peccare videris
 Hoc unum interdum, quod nimium dubitas
Anxia ne pecces; quod cuncta expendis ubique
 Momenta exigui quamlibet officii,
Nusquam et non trepidas, multos et consulis, ulla
 Res ubi non poscit parvula consilium.

LIX.

Lascivus amor nihil differt ab odio.

Odisti, ante alias omnes quam dicis amare;
 Cui te non nescis, Cinname, velle malum.

LX.

De Quinto sibi uni se vivere falso profitenti.

Non aliis, sibi se tantum inquit vivere Quintus:
Cui Lyda: id nequeo credere, Quinte, tibi.
Nam qui nunc nulli es non carus scilicet, esses
Invisus tali cuilibet ex merito.

LXI.

De animi aequitate retinenda in varia ludi fortuna.

Non turpe est vinci, nec pulchrum vincere ludo,
(Utraque res aeque futilis ac nihili est);
Turpe sed extolli quum ludo viceris, angi
Atque animo quoties, Postume, victus abis.
Veram nec ludus fert laudem, semper at aequa
Mens, eadem ludo quae manet in vario.

LXII.

De falsa simplicitate.

Haec tibi simplicitas quando est, nil posse tacere,
Insano fieri quid pote simplicius?

LXIII.

Quid deceat.

Quid decet? hoc, nemo quod si laudaverit, ipsum
Intus perpetuae sat sibi laudis habet.

LXIV.

Quid prosit.

Quid prodest? quidquid rerum decet, Aule. decoro
Semper non fallax it comes utilitas.

LXV.

Quid juvet.

Quid juvat? ad parvum pol tempus plurima rerum:
Virtus, Marce, una atque unica, perpetuò.

LXVI.

De mentis instabilitate.

Usque labas, firmus nec re consistis in ulla,
Fluctuat ut medio parva carina mari.
Vis, non vis; sequeris, vitas; damnasque, probasque;
Alternasque omnes nocte dieque vices.
Turpe viro, instabili nunquam consistere mente.
Cerne, cape, arreptum perge tenere decus.

LXVII.

Contemptus divitiarum.

Non mihi divitias opto: sat mi reor esse
Mentem, qua possim spernere divitias,
Atque mea, quam sum, contentus vivere sorte.
Haec dum continget mens mihi, Croesus ero.

LXVIII.

Ad Eunum mortem et dedecus forti minitantem.

Nec mortem forti, nec dedecus, Eune, minare.
Mortem contemnit, dedecus haud recipit.

LXIX.

Se non tam a commodo quam ab amore in officio tangi ostendit.

Sic ego sum; quovis dilecti, Quinte, sodalis
Quantumvis parvo tangor ab officio;
Nec quid contulerit, nec quanta juverit in re,
Quaero: sed fuerit quam memor ille mei.
Hoc satis est: alius penset sua commoda; longae
Fructus amicitiae sit mihi solus amor.
Cujus, ne possit spes me irrita fallere, certum
Saepe habeo tenui pignus in indicio.

LXX.

Falsum de Phyllide amatoris judicium.

Diva fuit quondam, quo primum tempore Phyllis
Visa tibi penitos ussit amore sinus.
Nunc flagrante ira, dirarum est una Sororum,
Pestis missa oras foeda sub aetherias.
Quae, te ni gemino mens falleret icta furore,
Foemina multarum scilicet una foret.

LXXI.

De adolescente obscoenam tabulam contemplante.

Tres videt Idaeo pictas in vertice divas,
 Miratur doctum Quintus et artificem;
Ille quidem prima calidus fervensque juventa,
 Pulsatusque feris corda cupidinibus.
Quid dicam? optabo, quod possum scilicet unum,
 Miretur solum semper ut artificem.

LXXII.

Rosa de se.

Flos rosa sum pulchrae Veneri sacer, illius olim,
 Ut perhibent, fuso e sanguine progenitus.
Ora deae grato refero jucunda colore;
 Quas infert curas sentibus horridulis.

LXXIII.

Ad Lentulum. De filio munditias negligente.

Quod male composuit vestem, compsitque capillum,
 Ingens id reris, Lentule, flagitium;
Et dulci haud dubitas convicia dicere nato,
 Dedecus ut vestrae si foret ille domus.
Ne saevi: cultus nunc istos negligit, unum
 Cura omni solers quod colit usque animum.
Haec si cura olim (superi prohibete) residet,
 Externas quaeret pol sibi munditias.

LXXIV.

Fortuna non laedit virum.

Nil Fortuna virum laedit: quocunque cadat res,
Immotus firmo stat tamen ille gradu.
Fors varie circum ludit: dat, detrahit, extra
Quae sunt; prorsum intus, quod fuit, ipse manet;
Seque sua involvens penitus virtute, ruat si
Orbis, in extremo non pavet exitio.

LXXV.

Amator sapiens.

Cara mihi est Phyllis prae cunctis; nec foret, essem
Prae cunctis illi si quoque carus ego.
Aequa est quod multos praefert mihi: praeferat illis
Me si, qui meritis vincor, iniqua foret.
Nec, virtus quem fecit, amor consistere possit,
Ni teneat, virtus quem jubet, ipsa modum.

LXXVI.

Haud raro displicet id quod subito placuit.

Qui tibi tam placuit, placeat mihi, Polla, necesse est.
Hoc doleo tantum, quod placuit subito;
Ac tacitus vereor, longo ne cognitus usu,
Atque tibi atque mihi denique displiceat.
Posse id non reris fieri. fit, Polla, profecto
Multum ubi quis placuit, sed placuit subito.

LXXVII.

Mens culta in corpore culto.

Ut gemma in pulchro quae pulchre inclusa metallo est,
Sic mens in culto corpore culta placet.

LXXVIII.

Cinnami amantis tumulus.

Cinnamus heic situs est. mentem prius abstulit illi,
Mox etiam vitae stamina rupit Amor.
Infelix bustum fatuos hortatur amantes
Ducere vesanis fraena cupidinibus.

LXXIX.

Ad Postumum muneribus populum corrumpentem.

Laudo, non uni dives tibi, ponere gaudes
Toti etiam partem, Postume, quod populo.
Non laudo (ut puero si quis det grata venena)
Istis quod perdis muneribus populum.
Pone aliquid, possit quo sumpto vita juvari,
Urbs fieri nec jam laetior, at melior.

LXXX.

Victus frugalis.

Intermisce epulis jejunia, ne gravet esca
Foede animum, corpus ne male destituat.

LXXXI.

Ad Quintum omnia amicorum dicta ad trutinam expendente.

Hoc mihi cur factum, cur dictum hoc, Quinte, requiris,
Nil non exactam pendis et ad trutinam.
Quaere alium, vexes isto quem more, sodalem,
Isto quem semper sollicites odio.
Me juvet is, quicum liceat sic vivere, possim
Ut simplex rerum plurima negligere.

LXXXII.

Paucis contentus.

Quod mi opus est habeo: quod non opus, optet habere
Ille, supervacuum qui sibi quaerit opus.

LXXXIII.

Ad Pollam qua arte possit tenere virum.

Arte virum, quaeris, qua possis, Polla, tenere.
Polla, tuum si non duxeris esse virum;
Nec fidas nimium vinclo secura jugali,
Nec solam credas omnia posse fidem.
Sed velut externum quae vafra illexit amantem,
Illigat usque novis, quam potis, illecebris;
Sic tu aliquid semper facias dicasve, tuus vir
Ut magis atque magis gestiat esse tuus.

LXXXIV.

*Juvenem inter senes verecundum,
non disertum esse oportere.*

Quinte, verecundi frugem praeferre pudoris
Suevi ego verbosi floribus eloquii;
Praesertim cum te nullas non culta per artes
Circumstat juvenem turba verenda senum.
Vel Priamo coram quis Troilon esse disertum,
Nestore vel coram quis ferat Antilochum?

LXXXV.

Facies mendax.

Istam odi faciem, qua vulgus fallitur, Aule.
Quae spondet quiddam scilicet eximium:
Sed tantum spondet, nec praestat; nata docere,
Externa quam res discrepet a specie.

LXXXVI.

*De Tulla ac Phyllide
altera irae, altera amori parentibus.*

Tulla irae, Phyllis vesano paret amori:
Harum quae peccet plus tamen, Aule, rogas.
Ambae, credo, aeque. furit utraque concita ut oestro,
Et nescit captae mentis habere modum.
Spreta jacet ratio, et pedibus calcatur utrique,
Haec pecudi similem se facit, illa ferae.

LXXXVII.

Ad Fabullum quidquid velit se assequi praedicantem.

Quae volo cuncta, inquis, prorsum assequor. Ergo, Fabulle,
Si bona sunt, quae vis, gratulor ex animo:
Sin mala sunt, doleo tum quod vis ista, Fabulle,
Numine tum laevo quod, miser, assequeris.

LXXXVIII.

De Phyllidis amoribus.

Phyllis amat; rigido Phyllis memoranda pudore,
Phyllis foeminei gloria magna chori.
Phyllis amat sic, ut nec sit memor illa pudoris,
Gloria foeminei nec velit esse chori.
Siccine Amor vertis mentes? sic desinit esse
Quod fuerat, quisquis sub tua jura venit!

LXXXIX.

Amici sinceri officium.

Quod te laudavi toties, me dicis amicum;
Et certe dici, Lydia, promerui.
Sed mage promerui, quod te reprendere, si quid
In vita peccas, Lydia, sustineo.
Illud mi facere est semper jucunda voluptas:
Multa hoc mi pectus complet amaritie.
Illud largiri derisor pol quoque possit;
Hoc tribuit verae cultor amicitiae.

XC.

Cur qui sapiens externis non sibi sapiens sit.

Ab sese abscedens posset si cernere sese,
 Ut sapit externis, quisque sibi saperet.
Sed quando potis est se nemo abscedere ab ipso,
 Qui sapit externis, non sapit ipse sibi.

XCI.

In Flaccum honore indignis posthabitum.

Quo tu dignus eras, retulit non dignus honorem:
 Non tamen idcirco est laus tua, Flacce, minor.
Nec gemmae pretium decedit scilicet, illi
 Mente carens vitrum si puer antetulit.

XCII.

Veri ac falsi amoris indicia.

Inde seni, hinc juveni blanditur Polla: sed illae
 Frigent, hae jactant fulgura blanditiae.
Hanc videat jubeo, si quis vult noscere, quantum
 A vero falsus denique distat amor.

XCIII.

De recti norma.

Norma placet: recti sed normam transilit, ipsam
 Qui recti normam consulit immodice.

XCIV.

De amore cum sapientia conjungendo.

Quidquid amas, sapienter ama, si, Galla, perennis,
Quo gaudes, maneat vis tibi semper amor.
Ni facis id; parvo post tempore, vel tibi amicus,
Illi erit aut contra tu minus ut placeas;
Inque locum stulti succedat denique amoris
Aut odium, aut pravi conscius ille pudor.

XCV.

De suis scriptis ad Lydam.

Quae populo placuere, tibi si, Lyda, placebunt,
Incipient demum scripta placere mihi.
His mage sin videam te offendi, non mea scripta,
Non erit ut facilis mi placeat populus.
Nec numerare etenim soleo, sed (vera quod hercle
Praescribit ratio) pendere judicia.

XCVI.

Amicitiae stabiles quas jungit virtus.

Nectit amicitias virtus. quod sanxerit illa
Foedus, ad extremos permanet usque rogos.
Sic nisi jungaris, parvo post tempore amicus
Vel tibi, vel tu illi, Postume, vilis eris;
Venit et ut vanus causa sine, sic sine causa
In ventum et nubem vanus abibit amor.

XCVII.

Rebus non verbis fidendum.

Verbis deceptus toties, nil fidere verbis,
Securus quod quis dixerit, edidici.
Rem video; verbis cum res non consonat, ipsa
Si quid Suada jubet credere, nil moveor.

XCVIII.

De viro et uxore sani aut insani capitis.

Vir caput uxoris fertur. Quid si caput uxor
Sanum habeat, sano vir careat capite?
Recte si fiat, mutatis partibus, aequum est
Uxor ut incipiat jam caput esse viri.

XCIX.

De virtutis dotibus.

Cultum odi mollem, cor molle, ac mollia verba:
Rus odi atque hirtam, Pontice, barbariem.
Nec careat nervis, nec sit nervosior aequo
Virtus. digna viro sit volo, digna homine.

C.

De amoribus Afrae et Galli.

Afra palam exercet crebros et Gallus amores,
Non vetulae foedos; ridiculos vetulo.

CI.

Ad Postumum nimis diligentem
in uxore custodienda.

Uxorem assidue custodis, Postume. fida est
Quae nunc, infidam vis, reor, efficere.

CII.

Recta filiorum educatio.

Non laxe nimium, genitor, non arctius aequo
Gnatum habeas. fiet, Cinname, uterque malus.
Exleges ibunt: fraeno hic quod nempe carebit;
Hic fraenum tandem quod ferus excutiet.

CIII.

Prodendum pectoris ulcus ut sanari possit.

Cur tacitus moesto defigis lumina vultu,
Elinguem vincis mutus et Harpocratem?
Quidquid id est, intus quod saevit, prode sodali.
Crede mihi, fiet jam tibi cura minor.
Corde gerit tacito qui curam, saucius optat
Fixa suo condi spicula dira sinu.
Queis quanam possit Podalirius arte mederi,
Dum latet ac medicam respuit aeger opem?

LIBER SECUNDUS.

EPIGRAMMATA ENCOMIASTICA.

I.

De Quinti constantia in fortuna mutata.

Non ego nunc inopem facio te, Quinte, minoris,
Quin pluris, quam quo tempore dives eras.
Quod se mutarit Fortunae est culpa superbae:
Laus tua mutatam quod bene, Quinte, feras.

II.

Ad Com. Alferium.
De ejus Antigona primo acta paucis spectatoribus adhibitis.

Salve itali columen, salve o spes una theatri.
Stat tua, perpetuo stabit et Antigone.
Acta placet mire paucis spectantibus; at quos
Nemo non multis millibus anteferat.
Quos potis est numero quantovis vincere vulgus,
Non potis est vero vincere judicio.

III.

De Benedicto Stay Poeta et Philosopho praestantissimo.

Newtoni Sophiam, numeros aequare Lucreti
Stayadae faciles annuerunt Superi.
Unus habet duplicem lauroque oleaque coronam,
Phoebo, Cecropiae carus et ille Deae.

IV.

Ad Balthasarem Odescalchium.
De Antigona Alferii in lucem producta.

Eximius Vates recitas quod carmina Vatis
Eximii, scenae tradis et Antigonam
Conjugis auxilio doctae, doctaeque sororis;
Laeta tibi plaudit, Balthasar, Italia.
Coepto insta: lucem in mediam protrude, pudore
Ille malo quidquid nunc premit in tenebris.

V.

Ad Antigonam.

Te Bato, novus, Antigona, si pingat Apelles,
Cedet, quam priscus pinxerat ille, Venus.
Atque utinam ut vultus, oculi, frons, sic quoque pingi
Posset, quidquid agis, quidquid et eloqueris!
Pulchri omnis posset mirans, omnisque decori
Exemplum in sola cernere posteritas.

VI.

Ad Grimaldum Catholici Regis Oratorem.

Nos, Grimalde, tibi multum debere fatemur,
 Queis laeti currunt, te tribuente, dies.
Quique solet tacita moerere Autumnus in Urbe
 Albanas gaudet vincere laetitias.
Per te spectaclis gaudemus: tu tamen isto
 Isto hilari vultu gaudia prima facis.
Dulcius hoc multo spectaclis omnibus unum:
 Te laetum nostra cernere laetitia.

VII.

De Argia.

Si talis patria conjux venisset ab Argo,
 Oedipode, qualem, dia Puella, refers:
Si tam blanda foret jucundis gratia verbis,
 Tam pulchrae ex oculis si fluerent lacrymae;
Ut lapides, ferrumque Creon, adamantaque durum
 Vinceret, inciperet mollior esse tamen;
Nec dictis miseram vellet proscindere acerbis,
 Pacato et saevas poneret ore minas.

VIII.

In imaginem Honorati Can. Vaticani.

Cernis Honorati vultum. vis cernere mentem
 Ipsam etiam? vatis carmina pauca lege.

IX.

Ad Comitem Alferium
Creontis partes agentem.

Istum odisse velim, nec possum odisse tyrannum,
  Cujus agis partes, magne vir, egregie.
Ipse etenim tanto comples mihi pectus amore
  Totum, odio ut quicquam non queat esse loci.
Grandiloquum admiror carmen, percellor acuto
  Ingenio, quid sis, non quid agas, memini.

X.

De eximia Spinelli Praefecti Urbis auctoritate
in ea regenda.

Quam tibi morigeri se dent, Spinelle, Quirites,
  Quae nutu fraenas, plena theatra docent.
Nemo malos audet cantores laedere, nemo
  Plaudere, te plausum non praeeunte, bonis.
Nil turbae est usquam; nec solum cuncta canuntur,
  Cuncta sed et fiunt ad numerum atque modum.

XI.

De Lyda fabellas narrante.

Per ludum atque jocum fabellas narrat aniles
  Sic, queat ut doctos Lyda tenere viros.
Sic, fieri quae non possunt, tamen omnia pingit,
  Nil ut non credas, dum loquitur, fieri.

XII.

Ad Pium VI. P. M. de Febronii palinodia.

Sexte, Petri augusta narras dum laetus in aede
Quae tibi Febroni est littera scripta manu,
Excepit sacer admirans tua verba Senatus;
Atque aliquis secum talia dicta dedit:
Clamasti errantem revocans, victorque reversam
Laetaris merito nunc, bone pastor, ovem:
Illius o utinam quae per vestigia pessum
Ibant, aeque alias vox tua servet oves;
Nullaque sit quae non docilis tibi pareat ultro,
Te duce monstratas et velit ire vias!

XIII.

De laudibus Lydae senescentis.

Nondum, Lyda, tibi venit rugosa senectus,
Nec formae rarus fugit ab ore lepos.
Ut tamen id fiat, quis te contemnere possit?
Quisnam te idcirco possit amare minus?
Quem tua non teneat facundia? quem, tibi mentem
Qui ciet, ingenii vividus iste vigor?
Omnigenaeque ingens doctrinae aggesta supellex
Visque alti, rerum provida, consilii;
Totque aliae dotes, queis nil praestantius esse,
Queis nil esse homini possit amabilius?
His tu semper eris nulli non cara, vel ipsam
Annorum ut vincas Deiphoben numero.

XIV.

De Quinti praestantia in coetu procerum disputantis.

Purpureos inter proceres te, Quinte, loquentem
Audivi; sprevi continuo et proceres
Quotquot erant, unum te admirans, verbaque melle
Grata magis patulis auribus excipiens.
Et dixi: magni parvo concedite; quoquo est
Sanguine prae cunctis dignior ille coli est.

XV.

De virtute numquam in Delia cum aetate senescente.

Multas post messes vidi te, Delia, longo
Fessam aevo, at caram, cara ut eras juvenis.
Nil etenim rarae, solam quam semper amavi,
Virtuti potuit demere longa dies;
Quae magis atque magis duratque et crescit ab annis,
Tristia damna senis nec timet omnivori.

XVI.

De laudibus Lydae.

Foemineo generi quidquid natura decori
Indidit, omne id adest, o mea Lyda, tibi.
Foemineo generi quidquid mos pravus inepti
Addidit, omne id abest, o mea Lyda, tibi.
Ergo cuncta placent, ulli nil displicet in te;
Nulla est grata magis, nulla molesta minus.

XVII.

Ad Salicetum Archiatrum
de recuperata valetudine.

Ereptum quae te servat, Salicete, periclo,
 Tecum hominum servat millia multa salus.
Ergo jure omnes, cordi queis publica res est,
 Munificae haud cessant solvere vota deae;
Nec te unum tantum, verum sese prope cunctos
 In te uno pariter convaluisse putant.

XVIII.

Laus Saliceti a solicitudine civium
in ejus periculoso morbo.

Tam carum Romae qui te, Salicete, probavit,
 Si fas est, morbum gratulor hercle tibi.

XIX.

Balthasari Odescalchio natum filium
gratulatur.

Primus formoso qui te vocet ore parentem,
 Prognatum toto gratulor ex animo.
Cui quidnam verax praesago pectore vates,
 Non sine Phoebeo numine, vaticiner?
Cuncta simul: matura virum cum fecerit aetas,
 Aequabit laudes, Balthasar, ille tuas.

XX.

De Spinelli Urbis Praefecti, et Preti Praef. Viar. in fungendo munere diligentia.

Tutus eo mundusque Urbis per compita: servas
  Tu, Spinelle, caput, tu mihi, Prete, pedes.

XXI.

De docili Romanorum ingenio, ad Spinellum Praefectum Urbis.

Fortis equi Roma est similis: non apta domari est
  Cuilibet, at doctam sentit amatque manum.
Hinc, Spinelle, tibi docilem se praebet, agique
  Se nutu gaudet, magne vir, illa tuo.

XXII.

De Lydae laudibus.

Quo se cunque tulit, quoquo vestigia flexit
  Lyda, simul fausto Pax venit alma pede,
Et placido mitis vultu Concordia, quique
  Fida virûm jungit pectora sanctus Amor,
Atque bonae mentis cultrix jucunda voluptas,
  Et juncta ingenuis Gaudia laeta Jocis.
Jure igitur talem sequimur; debemus et uni
  Quod vitam heic hilares degimus, o socii,
Nosque inter varii natura et moribus, usque
  Fraternae colimus foedus amicitiae.

XXIII.

De Lydae in summis laudibus modestia.

Lyda potest omnes, quotquot sunt, ore puellas,
Lyda potest omnes vincere mente viros.
Sponte sua gaudet sed cedere Lyda puellis,
Sponte sua gaudet cedere Lyda viris.
Ergo illam, quoties vicit, victaeque puellae,
Et victi certant semper amare viri.

XXIV.

De Lydae lepore in narrando.

Quid vis eloquii possit, quid Suada, quid ille
Ambrosius blando qui fluit ore lepos;
Mulceat ut sensus mira dulcedine, captam
Ut mentem arbitrio verset agatque suo;
Si quis adhuc nescit, pulchre sciet, o mea Lyda,
Narrantem si te quidlibet audierit.

XXV.

In idem argumentum.

Segnius irritant animos demissa per aurem,
Flaccus ait, quam quae subdita sunt oculis.
Id fateor quoties alii, mea Lyda, loquuntur;
Sed cum tu loqueris, tum prope diffiteor.

XXVI.

De Lydae in virtute constantia.

Qualis Lyda die primo est mihi cognita, multas
Talem post messes atque hyemes video.
Foemina, quod rebar fieri vix posse, virorum
Nullum constanti non animo aequiparat.
Ingenio et stabili mire omnes una refutat
Queis leve foemineum dicitur esse genus.

XXVII.

Ad Balthasarem Odescalchium.

Maeonidae interpres magnum mirabar Homerum,
Nullis non illum vatibus anteferens.
Nunc magis at miror, diae cum fulgura lucis
Clara illi affundis, Balthasar eximie;
Atque suis olim scripsit quae Popius Anglis,
Vis nota esse tuis non minus Ausonidis.
Urge opus incoeptum; lingua et mirandus utraque
His patrios fines affice muneribus,
Atque doce, veri quae sit forma illa poëtae,
Ignotam nostris quam doleo Arcadibus.

XXVIII.

Subscriptum imagini Card. Somaliae.

Hoc ore, hoc vultu est Somalia: cetera pinget
Olim, orbis late qua patet, historia.

XXIX.

De Lyda.

Vesper adest: jam tempus oves decedere pastu,
  Et saturas prima nocte redire domum.
I prae, Daphni; sequar. Lydam cantabimus una
  Interea: longam leniet illa viam.
Lyda nulla magis laudari est digna puella:
  Lyda nulla minus laude puella tumet.

XXX.

De Lydae laudibus.

Qui te, Lyda, videt, caelo istam laudibus effert,
  Quae possit magnas forma decere deas.
Qui te, Lyda, audit rerum tot mira loquentem,
  Ingens prae forma suspicit ingenium.
Qui sensus at, Lyda, tuos pernoverit, hercle
  Ingenio mores praeferet eximios.

XXXI.

De laudibus Lydae prae Pholoe ac Phyllide.

Cur Pholoen raro, raro cur Phyllida visam,
  Assidue at Lydam, Postume, saepe rogas.
Quod miror Pholoen, miror quod Phyllida, verum
  Sic, aliquid laudis cogar ut excipere:
At contra miror sic Lydam ex omnibus unam,
  Haud quidquam laudis cogar ut excipere.

XXXII.

De Lyda
laudes suas minime agnoscente.

Illi quas tribuo laudes agnoscere nunquam
Lyda solet. jungo hanc laudibus ergo aliis;
Et saeclis testor venientibus: optima Lyda
Nil non laudis habet, nec scit habere tamen.

XXXIII.

De Lyda rus petente.

Agros Lyda petit: faciles occurrite, nymphae.
Una venit vestro digna puella choro.
Quae dum rura colet, quantumvis sordida rura
Non erit ut cultis urbibus invideant.

XXXIV.

De amicorum moerore Lyda aegrotante.

Lyda, ubi te morbus paullum tentavit, amicis
Continuo verso pallor in ore sedet,
Moeror habet cunctos; torpent formidine mentes,
Incipiunt trepido corda micare sinu.
Hoc mores meruere tui, Lyda aurea, vitam
Jure tuam ut vitae quisque suae anteferat;
Quidquid et est parvi quamvis tenuisque pericli,
Parvum id tam caro non putet in capite.

XXXV.

De se rusticante ad Lydam.

Rura colens quid agam quaeris, mea Lyda. revolvor
Ad te absens memori pectore, quidquid agam.
Me liquidi fontes, me florea prata, virentes
Me campos hilarans admonet aura tui.
Ut modo, procero nutantem vertice quercum
Admirans, mecum talia dicta dabam:
Quantum humiles supra dumos tu celsa, puellas
Tantum alias tollit se mea Lyda super.

XXXVI.

Votum pro Violantae salute.

Aegra caput fessum posuit Violanta; sub imo
Torret languidulam febris acerba sinu.
Ferte at opem faciles Nymphae, vestroque valescat
Munere jam vestro digna puella choro.
Si facitis, divae, laudis praeconia vestrae
Scribam laetifico carmine gratus ego.
Scribam carmen ego: solemnes carmen ad aras
Structum fraternis concinet illa modis, (1)
Utque solet, mira vocis dulcedine captis
Nempe meram affundet sensibus ambrosiam.

---

(1) Modos enim faciet Petrus Aloysius Violantae frater, cujus singularem in eo genere scientiam nemo ignorat, nemo non admiratur.

XXXVII.

De Violanta Lydae filia domum reversa.

Cara domo existi patria, Violanta: reversa
Es tamen in patriam nunc mage cara domum;
Nec quisquam est nostrûm, coetu qui nempe solebat
Assiduo vestros concelebrare lares,
Cui, quamquam jucunda olim, jucundior esse
Reddita nunc multo non videare tamen.
Nam procul hinc degis dum sacris abdita septis
Inter virgineos, dia puella, choros,
Omnigena absentis crebro de laude loquentum
E desiderio valdius arsit amor;
Sanctus amor (nomen dubium ne horresce), bonorum
Candida quo virtus corda ciere solet.

XXXVIII.

De Phyllidis dotibus.

Olim quae miro juvenes incendit amore,
Nunc miro incendit Phyllis amore senes.
Corporis egregii florebat dotibus olim:
Nunc animi floret dotibus illa magis.

XXXIX.

Subscriptum imagini Benedicti Stay.

Stayadae os cernis vera hic in imagine: mentem
In libris cernunt nostri etiam antipodes.

XL.

Ad Lydam senescentem.

Lyda, tibi metuas tardae ne damna senectae,
  Prospexit donis nempe Minerva suis.

XLI.

Catullum vel peccantem amat.

Quaeris cur blandi culpetur musa Catulli.
  Non me, verum alios id, mea Lyda, roga.
Nam me sic blandi cepit sibi musa Catulli,
  Ut quae vel peccat cogar amare tamen.

XLII.

Simulacro Ciceronis subscriptum.

Salve, urbis decus aeternae, salve, optime Tulli;
  Salve, o magnorum maxime Romulidum,
Eloquii princeps; quo sub duce Roma Pelasgos
  Vicit, quos armis vicerat, ingenio.

XLIII.

Imagini subscriptum.

Optima quae mater, quae conjux, quae sit amica,
  Quae domina, exemplis haec docet una suis.
Foemineum et quaecunque genus, quaecunque virile
  Commendant, mire vindicat una sibi.

XLIV.

De Afrae constantia in paupertate perferenda.

Ampla excussa domo, parva latet Afra sub aede,
  Fertque gravem forti pectore pauperiem;
Et censu in tenui tamen omni sedula cura
  Ingenium, mores et colit ingenuos;
Nec dejecta animi, dites volat ante puellas,
  Qua verax pulchrum gloria pandit iter.
Afra, tuam laudo fortunam. saeva premendo,
  Materiem laudi praebuit illa tuae.

XLV.

De Cornelia Knight Angla
doctrina et scriptis clarissima.

Quales prisca aetas olim tulit heroinas,
  Corpore praestantes, ingenio eximias;
Talem Romuleas ad sedes, dia puella,
  Te patrio advectam cernimus a Tamesi;
Et Grajo, et Latio, Tusco et sermone loquentem,
  Promentemque alto pectoris ex adyto
Doctrinae oracla attoniti miramur; et aevo
  In viridi tantam suspicimus Sophiam,
Quantam posse sibi vix longa aetate videmus
  Palladia insignes arte parare viros.
Gaude istis memoranda orsis, teque ipsa, tuosque
  Orna, et foemineum, gloria rara, genus.

XLVI.

Violantam canentem laudat.

Terrigenum coetu placuit Violanta; placere
Ipsis nunc possit vox tua caelicolis,
Caelicolum regem vesca sub fruge latentem
Dum canit, et dulci dulcior ambrosia
Sacro Templum hilarat cantu, mulcetque piorum
Corda, pias oculis elicit et lacrimas.
Felix Lyda parens haec si audiat, audiat et se
Matres felicem dicier ante alias!

XLVII.

Post Violantae ad S. Moniales discessum.

Unde abes, o Violanta, domus te moesta requirit,
Et quae turba tuam visit amica domum;
Nec desiderio quisquam non fixus acerbo,
Digressu moeret, dia puella, tuo.
Haec contra, sacras inter quae septa puellas
Incolis, ut rident laeta magis solito!

XLVIII.

Theugenidis laus.

Magna, venusta eadem, vita et veneranda pudica,
Omne opus et mire sedula ad ingenuum
Theugenis est. talem qui non observat amatque,
Possit vel divam spernere Cecropiam.

XLIX.

De Stayo aegrotante.

Stayus aegrotat: sanctae properate Camoenae,
Ferte et opem, qui vos auxit honore, viro.
Quem juvet, hunc vester ni vatem servet Apollo,
Vatum omni mire qui sapit in numero;
Cujus ob ingenium, passim quae spreta jacebant,
Carmina opus dici futile desierunt?

L.

De Violanta canente.

Ante quidem sueras carmen cantare profanum:
Carmen io! sacrum nunc, Violanta, canis.
Ipsam se vincit tua vox, quae vicerat omnes,
Atque pio prodit dulcis ab ore magis;
Ante domo patria, templo nunc digna, placere
Ante homini, nunc jam digna placere Deo.

LI.

De laudibus Lydae ad Postumum.

Quae sit Lyda, tibi dici vis, Postume; dictu
Non facile est; dicam sed tamen, ut potero.
Foemineum quaecunque genus, quaecunque virile
Condecorant laudes, Postume, junge simul.
Junxeris ut pulchre simul omnia, dicito: Lydam
Haec, mihi quam finxit mens mea, forma refert.

LII.

De Quartilla loqui verecundante.

Admiror tacitam; malo Quartilla pudorem
  Quod praefert, quam si praeferat ingenium.
Nec tamen ingenium non praefert dia puella,
  Quae sentit praestet quam pudor ingenio.

LIII.

Lydam laudat.

Lyda, places vel sola: aliis at juncta puellis
  Difficile est dictu quam mage, Lyda places.
Tanto etenim praestas, quanto praestare videtur
  Fulgida pallidulis Cynthia sideribus.

LIV.

In idem argumentum.

Consilio mire praestas, mea Lyda. quod aetas
  Fert aliis, ingens scilicet ingenium,
Doctrinaeque omnis tibi vis, vitaeque magistra
  Ante diem soli contulit historia.

LV.

De Lydae constantia in virtute.

Fluxa, levis mulier; non tu. Virtus tulit alte
  Supra foemineum te, mea Lyda, genus.

LVI.

De Lydae judicio in probandis carminibus.

Lydium ut ad lapidem spectato fidimus auro,
Fido ego carminibus quae tibi, Lyda, placent.
Quid deceat, quid non, mire nam cernis; acutum,
Quidquid inest vitii, nec latet ingenium;
Ut quaecunque probas queat ipsa probasse videri
Verax Phoebeo Pythia de tripode.

LVII.

Ad Janum carmina carminibus remunerantem.

Aerea Tydides Glauco dedit, aurea Glaucus
Rettulit Argivo prodigus arma duci.
Sic tibi ego misi carmen pol futile: reddis
Tu contra carmen, Jane, mihi eximium.
Hoc pudet: at pretio dispar sit carmen utrumque,
Opto par fidae pignus amicitiae.

LIBER TERTIUS.

EPIGRAMMATA SATYRICA.

I.

Quid propositum habeat in satyra scribenda.

Humanas narro, vidi quascunque, libellis
   Ipse meis, verso nomine, stultitias.
Sic famae parcens alienae, promere suevi
   Quae nequeo tacito clausa tenere sinu.
Sic mihi ego prosum, saeclis prodesse futuris
   Sic forsan possum, certe equidem studeo.

II.

In rudem Musarum comtemptorem.

Ignotum patior tibi quidvis, Cinname; nec te
   Musarum insector cultus in arte rudem.
Hoc dolet, hoc tacitus non possum ferre, pudore
   Quod posito, Musas tam rudis exagitas;
Nec sola es venia, quam do, contentus, inerti
   Improbus at laudem quaeris ab ingenio.

III.

De Phyllide a pluribus se amari jactitante.

Quinte, rogas habeat quosnam sibi Phyllis amicos.
Quinte, magis quosnam dicat habere roga.
Dicit enim innumeros: verum at si quaerimus, ullum
Non habet, una uni Phyllis amica sibi.

IV.

In Criticum imperitum.

Affectas, credo, qui linguae regna Latinae,
Haec tibi jam quisnam deferat immerito,
Cum dicis *servare pedes* minus esse latinum,
Quam *servare caput*, remve, domumve, aliud
Vel quidvis, pesti ereptum quod nempe solebant
Prisci *servatum* dicere Romulidae?
Horum scripta vigil si evolves rite, placebunt
Qui tibi *servati* displicuere *pedes*.

V.

De simulato Gelliae luctu in obitu viri.

Foedum, difficilem, male parcum Gellia dixit
Usque suum, jurgans nocte dieque, virum.
Illius extincti plorat nunc tristia multo
Cum gemitu et multis funera cum lacrimis.
Plorat: sed, rerum fallunt ni me omnia, plorat
Extra aliis, intus ridet at ipsa sibi.

VI.

Ad Quintum omnes fastidientem.

Nemo placet tibi, Quinte; vicem sic reddis, opinor,
Quinte, parem cunctis, queis nihil ipse places.

VII.

In Quintum a nemine se carpi patientem.

Aures obtundi clamat sibi Quintus, amice,
Quod merito dictis carpitur ille tuis.
At si laudari sese audiat, auribus aequis,
Crede mihi, longas audiat Iliadas.

VIII.

Vale dicit importuno interpellatori.

Non satis est, praesens quod me vexare, Nearche,
Usque soles, omnique excruciare modo,
Usque mihi mandans aliquid, mittensque, vocansque,
Atque jubens fieri quae tibi semper opus?
Non satis haec; absens absentem ni male plectas
Compellans multo creber epistolio,
Atque alia atque alia obtrudens mandata molestus?
Quae posthac mens est omnia negligere,
Atque odium vitare istud; nec velle tuis jam
Rebus, sed capiti consuluisse meo,
Quem miserum misere quondam tua dicta necabant,
Et miserum misere nunc tua scripta necant.

IX.

Ad Glauciam
nihil ineptiarum in amicis ferentem.

Quod nil ferre potes, quidquid peccamus inepti,
Hoc te jam nemo, Glaucia, ferre potest.

X.

In idem argumentum.

Nullum ferre potes: ferri vis, Quinte. Quid isto
Fingi more potest intolerabilius?

XI.

De fatua Leonillae pulchritudine.

Formosam dicunt, formoso in corpore praefert
Ingenii nullam sed Leonilla notam.
Hoc miranda aliis; mihi sperni digna; placere
Cui fatuus pulchro vultus in ore nequit.

XII.

In Quintum
animo semper amoris causa suspenso.

Quintus abest longe, nec possum dicere quonam
Fugerit: hoc possum dicere; Quintus abest.
Membra quidem heic video: qua mens in parte vagetur
Scit saevus, miserum qui male versat, Amor.

XIII.

In aemulatorem ineptum.

Quod lusi carmen spernebam: spernere sed jam
Ne possim fecit carmen, amice, tuum;
Omnia qui melius conatus dicere, nil non
Dixisti, Roma judice, deterius.

XIV.

In ineptum carminis emendatorem.

Illepidus lepidum carmen tibi, Roma, poeta
Perdidit, unde *caput* sustulit atque *pedes*.

XV.

In idem argumentum.

Aedilem appellas nulli qui praesidet aedi,
Sed curat solas Pretus in Urbe vias?
Verborum vim disce prius, dein corrige carmen,
Quod probat, et lepidum Roma diserta putat.

XVI.

In Glauciam invidum.

Laudari sese vult Glaucia, laudis avarus
Ullam vix aliis vult dare particulam.
Invidus ergo audit passim, laudemque, videtur
Qua fraudare alios, detrahit ipse sibi.

XVII.

In stultum sibi invideri judicantem.

Invidisse tibi me dicis: quid tibi praeter
Vecordem invideam, Pontice, stultitiam;
Quam propter, nulli non spretus, tu tamen esse
Te tibi persuades omnibus invidiae?

XVIII.

In contemptorem styli cultioris.

Qui puro scriptor cultu nitet, Aule, popello
Vilia cum vili verba nec eloquitur,
Obscurum veluti damnas, ac dicis ineptum,
Aequa nec possit qui tibi mente legi.
Quippe, reor, multo laedit te lumine; multo
Ut sol nocturnas lumine laedit aves.

XIX.

In eundem.

Obscurum dicis quod non intelligis, Aule.
Sic caecos media nox premit alta die.

XX.

Damna conjugii.

Uxorem ducis, dotem et superadjicis, Aule.
Ingens aere tuo quaeris, amice, malum.

XXI.

Ad Orphitum in amanda Lycoride
errore deceptum.

Ipse sibi finxit, quam deperit Orphitus, Aeglem,
 Nec rem, crede mihi, sed sua visa cupit.
Dii faciant, sibi nupta domum cum venerit illa,
 Errorem agnoscens ne subito evigilet.

XXII.

Ad Gelliam
viris nobilibus quibusque delicias facientem.

Magna domus si quem commendat, dignus habetur,
 Omnes cui facias, Gellia, delicias,
Sit licet abnormis, nec sensu praeditus ullo,
 Ullis nec cultus pectora litterulis.
Quid dicam? ignosco tibi, Gellia; quod facit omne
 Vulgus, cum vulgo stulta puella facis.

XXIII.

De futili Vari judicio
in recentibus cum veteribus Poetis comparandis.

Vare, novos vates priscis quod vatibus aequas,
 Prodis nempe tuum futile judicium;
Nec quos collaudas fatuis scriptoribus addis,
 Sed tibi laudator detrahis omne decus.

XXIV.

De Quinti natura.

Magnus, Quinte, foris, perparvus perque pusillus
Nullius et pretii diceris esse domi.
Id quanam dicam causa contingere? num quod
Persona eripitur, res manet ipsa domi?

XXV.

In Glauciam
se unum in agendo consulentem.

Unum, quidquid agit, se consulit: omnia rerum
Inde facit nullo Glaucia consilio.

XXVI.

In Antigenem nimium hyemis atque aestatis
remedia defugientem.

Aestu auras, ignem qui frigore defugit, omnes
Ni male desipiunt, desipit Antigenes.

XXVII.

De Lyci consilio in Phyllide colenda.

Gloriolam de te quaerit Lycus, optima Phylli;
Teque cupit dici, non cupit esse suam.
Crede hoc: quidquid agit blandus, vel dicit, amator
Non est, Phylli, tuus, sed magis ipse suus.

XXVIII.

Cur non flendus ab Acca uxore vir mortuus.

Morte viri ne fle, miserum nec dicito. non est,
Crede mihi, qui te fugerit, Acca, miser.

XXIX.

Si uxor domina, ergo mancipium vir.

Nempe tuam uxorem dominam tu, Postume, dicis.
Quid ni uxor dicat te tua mancipium?

XXX.

Ad Glauciam importunum sero se venisse excusantem.

Quod sero venias purgas te, Glaucia: purga,
Crede mihi, potius, Glaucia, quod venias.

XXXI.

In malum Poetam sua carmina jactitantem.

Scripta mihi semper jactas tua, Cinname; jacta
Laudandum quod sit, si quid habes, melius.
Scripta quidem sperno, sint quamvis multa; disertos
Inter postremo te reor esse loco;
Ipsum hoc et videor nimium tribuisse benigne,
Nullum postremo quod reor esse loco.

XXXII.

In Glauciam interpellatorem.

Cum Lyda veterum nactus me scripta legentem,
Non sentis quam sis, Glaucia, utrique gravis?
Esse gravem sentis vel si te, Glaucia, utrique,
Hic potes ingratas ducere, lente, moras?
Et longum torquere ambos? tua plumbea dicta
Pro veterum et dictis oggerere aureolis?
Cede, malum! procul hinc, cede ocyus. hosne silere,
Hosne viros patiar, Glaucia, teque loqui?

XXXIII.

In idem argumentum.

Dum mecum mea Lyda legit scripta aurea vatum,
Huc importunus Glaucia ne veniat,
Si lectove domi affixum sellaeve tenebis,
Implicitum et vinclis, lenta podagra, tuis;
Carminibus celebrata meis, illataque caelo
Inter munificas prima ferere deas.

XXXIV.

In Corvinum mortalium omnium contemptorem.

Quod spernis cunctos, aliis, Corvine, superbus,
Irae mi potius diceris impatiens.
Spretus enim nullum contra non spernis, inultus
Ut ne sit, qui te conficit, iste dolor.

XXXV.

In Cinnamum simulatam Tullae amicitiam pretio aucupantem.

Ignoscam facile, vafrae si, Cinname, Tullae
Quamvis multa dares ut sit amica tibi.
Hoc quis at ignoscat, quod das large omnia, amicam
(Quod solum potis est) se tibi ut assimulet?

XXXVI.

Ineptus in senibus amor.

Tulla seni blanditur anus tibi, Postume; contra
Tute illi haud cessas dicere delicias.
Quisquis adest, ridetque ambos, et frigidus iste
Extemplo discit quam sit ineptus amor.

XXXVII.

Lucem a Phoebo petit ad obscura Tuccae carmina intelligenda.

Lucis Phoebe pater, si lucida carmina panget,
Scire queam ut tandem quid sibi Tucca velit,
Nec male verborum, male rerum nescius usque
Errem, nilque altis dispiciam in tenebris;
Gratus ego non thura feram, non dulcia liba,
Multave purpureo cymbia plena mero:
Sed, quae scripsit adhuc, ipsâ magis omnia nocte
Coeca, tuis uram carmina, Phoebe, focis.

XXXVIII.

In Gallam nimis in Varum officiosam.

Cogeris officio venienti occurrere Varo,
 Arreptum et dextra comiter excipere.
Cogeris officio laeta illi assidere, Galla;
 Illi multa loqui cogeris officio.
At vultu interea succendi flammea toto,
 Dic quonam tandem cogeris officio?

XXXIX.

In superbum Tullae fastidium.

Dum tibi quisque gravis, Tulla, est, hoc denique nacta es
 Ut nulli non sis tu quoque, Tulla, gravis.
Et merito: tam tristis enim, tam turgida fastu,
 Credo equidem, ferri vix queat ipsa Venus.

XL.

De durissimis Quinti carminibus.

Aerato scribis calamo tua carmina, Quinte;
 Carmina sed calamo sunt mage dura tuo.

XLI.

In idem argumentum ad Corvinum.

E duro tractas calamum, Corvine, metallo,
 Scriptor et es calamo durior hercle tuo.

XLI.

In Glauciam secreto assidue in Tullae aurem garrientem.

Quod Tullae assiduo secretam garrit in aurem,
Audiri et nulli Glaucia vult alii,
Laudo. praestat enim tantum uni scilicet, omni
Quam coetu nugis displicuisse suis.

XLII.

Ad Postumum rarius et serius se venisse excusantem.

Quod rarus venias, venias quod serus, id aequa
Phyllis ut ignoscat, Postume, saepe rogas.
Illa quidem ignoscit, sed multo ignoscat, opinor,
Aequa magis, nullus, Postume, si venias.

XLIII.

In idem argumentum.

Te serum venisse inquis. mi Postume, serum,
Quandocumque venit, nil reor esse mali.

XLIV.

De conviciatoris fatui contemptu.

Laesisti Crassum: nil rettulit ille. veretur
Num te? quin fatui verba facit nihili.

XLV.

In arrogantis ingenii jactatorem.

Quae tu mira vides, alios haud posse videre,
Celse, putas acri quamlibet ingenio.
Est tamen, est, aliis quod visum, tu tamen unus
Nescio quî nunquam, Celse, videre potes.
Istud nempe ipsum: quam stultus, quam sit ineptus,
Qui se acri praefert omnibus ingenio.

XLVI.

Calamum aeneum
carminibus scribendis accommodatum
Menippo mittit.

In versu nil molle tuo est audire, Menippe,
Murmur ego serrae, non tua dicta velim.
Quae calamo ut scribas quali decet, hunc tibi mitto
Aeratum, quo nil durius est, calamum.

XLVII.

De Phyllidis et Opimii levitate.

Quod levis est Phyllis, doleo, nec miror, Opimi;
Te magis et doleo, miror et esse levem.
Naturae vitio levis est mea Phyllis; amice,
Tu levis es vitio (nec pudet?) ipse tuo.
Illa mihi est, qualem non dedecet esse puellam:
Tu talis qualem dedecet esse virum.

XLVIII.

De mutabili Phyllidis ingenio.

Quinte, doles quod te spernit quae nuper amabat
Phyllis. Quid? mulier quod sit, amice, doles?
Cui mage naturâ, quam plumae, ac nubibus, aurae
Ventorum et tenui, contigit esse levem.

XLIX.

De impunitate Quinti inepti conviciatoris.

Quinte, impune potes cui vis male dicere. verbis
Ullum nemo putat pondus inesse tuis.
Sic, pulset si quem pusus nutricis ab ulna,
Ridetur nulli noxia simplicitas.

L.

Cur nec Cinnam nec Furium sibi comites velit.

Nec mihi Cinna comes placeat, nec Furius. acer
Hic nimis est, contra dulcis at ille nimis.
Ut stomachum cibus, et mentem sic laedit, utramvis
In partem immodice quod sapit, ingenium.

LI.

In Cinnamum Ciceronis scripta minus probantem.

Cinname, nil Tulli sapiunt tibi scripta. requiro
Nil ultra. novi quam tibi cor sapiat.

LII.

In nocentium Patronum.

Innocuos spernis, tutaris, Cinna, nocentes,
Tutando et nimium, fis puto et ipse nocens.
Nec multum refert, alienas an tibi vere
Publica res noxas imputet, anne tuas.

LIII.

De Cinnamo mutuum dare recusante.

Mutua Corvinus sextertia pauca rogavit:
Tu tibi ais quod des, Cinname, at esse nihil.
Dii faciant quod nunc foede mentiris, id olim
Incipias vere dicere, et ex animo.

LIV.

De Phyllide amatores nullos respuente.

Ut laeva est, nullum non spernit Phyllis amantem.
Dignus et est sperni Phyllida quisquis amat.

LV.

In Licinium nimium scientiae suae tribuentem.

Omnia qui rerum respondes, hoc mihi, quaeso,
Responde: fidens, quem geris, iste animus
Unde tibi est? rerum quod scis mire omnia? mire
An rerum ignoras omnia quod, Licini?

LVI.

In scriptorum Graecorum ac Latinorum contemptorem.

Qui Grajos spernis scriptores atque Latinos,
Quid rerum scribas quaerere, Cinna, piget.
Scire sat est, quaequae scribas, gravitate Latina
Scilicet, ac Grajo cuncta carere sale.

LVII.

Renuit credere Postumo sive affirmanti sive neganti.

De multis toties quae facta infectaque narras,
Callidus et multa pingere ab arte soles,
Scitaris quidnam renuam tibi credere: tantum
Ista duo, et quod ais, Postume, quodque negas.

LVIII.

Ad Cinnam honoribus immerito sibi delatis intumescentem.

Cinna, tumes aliis magno praelatus honore.
Quem paucis, abeat quo tumor, hoc doceo.
Nondum etiam inveni quemquam in tot millibus unum,
Cui credi tanto dignus honore queas:
Ipsi qui lucem, quondam qua fulsit, honori
Non demptam credat sordibus esse tuis.

LIX.

In Cinnam magnificum quidem, non autem magnanimum.

Quamvis magnificum te possum dicere, Cinna:
  Haud possum, quod vis, dicere magnanimum.
Magna facit non magno animo, verum hercle pusillo,
  Qui, famae attonitus murmure, magna facit.

LX.

In Quintillam nunquam ultro officiis provocantem.

Officiis Quintilla meis respondet: at ullis
  Me prior haud unquam provocat officiis.
Sic scopuli et cautes interdum blanda loquuntur.
  Dicis *amo*: rupes aspera dicit *amo*.

LXI.

Ad Gellium in amicitia solum vinci gaudentem.

Sese ut amat, nulla vinci vult Gellius in re.
  In sola vinci gaudet amicitia.

LXII.

In malum Scriptorem, qui mirabatur a Poeta decies Flaccum lectum fuisse.

Miraris decies Flacci quod scripta relegi?
  Miror ego legi quod tua scripta semel.

LXIII.

De Pontici carminibus immerito laudatis.

Qui tua laudarint, mihi narras, carmina; magnis,
 Credo, ut percellar, Pontice, nominibus.
Verum ego, sponte sua placeant ni çognita, spernam
 Una cum magnis carmina nominibus.

LXIV.

In Varronem publica munera sibi deposcentem.

Publica deposcis, Varro, tibi munera, magnis
 Cui parvo nasci contigit e proavis;
Romanam ut, proavi quam servavere tui, rem
 Incipias stulta perdere mente nepos.

LXV.

Cononem merum Cecropidem contemnit.

Sperno clarum ab avis atavisque Conona, merumque
 Cecropidem; sed enim nil nisi Cecropidem.

LXVI.

In jactatorem.

Multus saepe suos Varro mihi narrat honores,
 Et regum claras jactat amicitias;
Omnia nec forsan mentitur: verum ego de se
 Narrantum ampullis credere nil soleo.

LXVII.

In contemptorem suorum carminum.

Quae facio raptim, spernis mea carmina: verum
Tu tua, Cinna, facis lentius, haud melius.
Frustra operam ingentem jactas mihi. fac opera ingens
Majus majori tempore ponat opus.
Nam si ponit idem, parvum aeque, ac futile, stulte
Narras, plus operae quam male perdideris.

LXVIII.

In praedicantem omnia se mire facturum, si velit.

Nil se non mire facturum jactitat Aulus,
Si faceret: verum nil facit interea.
Quid possit nescit; credit posse omnia; quorum,
Expertus, credo, crederet ille nihil.

LXIX.

In stultum Phyllidis amatorem.

Ne quem Phyllis amet, stulte facis omnia. tete
Ipsum ut amet, num quid, vir malesane, facis?

LXX.

Contemptorem contemnit.

Cinna tibi patior sperni mea carmina, sperni
Dum mihi judicium tu patiare tuum.

LXXI.

De Quinto
nihil amicitiae, omnia utilitati tribuente.

Nil dat amicitiae Quintus. quem praebeat usum
Quisque, rogat. patrem nolit amare suum
Aut matrem, si nil prosint. Se negligit ipsum,
Ne, se si curet, sit minor utilitas.

LXXII.

De Glaucia sene amari se a puellis judicante.

Ultra dena aevo progressus Glaucia lustra,
Pulchrum et floridulum se putat esse tamen;
Illius et captas forma languere puellas,
Certatimque illi dicere delicias;
Et si qua ingemuit forte illi proxima, retur
Fixam angi telo corda cupidineo.
Quid? caret ergo oculis? speculum non consulit unquam,
Non rugas? canum non videt ergo caput?

LXXIII.

In Postumum senem multorum flagitia
sine indignatione narrantem.

Annosusque gravis cano et jam vertice, multa
Multorum narras, Postume, flagitia.
Quae cum depingis, nec damnas, tu (mihi crede)
Ipse facis magnum, Postume, flagitium.

LXXIV.

Ad Plancum terrifica Lydae narrantem.

Horrendos terrae motus, vastaque ruina
Hausta simul miseris oppida cum populis,
Fulguraque et tonitrus narrasti, et perdita leto
Multa virûm, multa et corpora quadrupedum.
Quae dum persequeris, nimio terrore molestum
Lyda tamen placido pectore, Plance, tulit;
Ausa nec est moesto sermoni ponere finem.
Laeta etenim fantem te magis illa timet;
Atque tuos horret lusus, fatuosque lepores,
Atque senis blando verba proterva joco.

LXXV.

In Fortunam, quod Cinnam immeritum extulerit.

Fortunae irascor, quae te, Cinna improbe, jussit
Postremum primo caeca sedere loco.

LXXVI.

De suo in Arcadibus Romanis probandis judicio.

Carmina quum magno recitari non sine fastu
Romana audivi sessor in Arcadia;
Si qua placent, dico timide, mihi recta videri:
Recta levem patior dicere Gargilium.

LXXVII.

In amicum
jurgiis sibi Lydam vindicare curantem.

Quod se Lyda tibi non tota impertit, amice,
  Arguto haud cessas multa dolore queri.
Est qui posse queri credit se justius, uni
  Impertit sese quod nimis illa tibi.
Nam, tua dum metuit sibi jurgia, te prope solum
  Observat, curat, sevocat, alloquitur.
Felix! cui saevis licet ista parare querelis,
  Ille sibi nullis quae parat obsequiis.

LXXVIII.

In Medicum obtrectatorem Medicorum.

Eximii peccant, te judice, Vare, medentes;
  Ipse docens peccat multa etiam Hippocrates.
Te quoque credo equidem tanto peccare minorem;
  Cumque sciant illi paucula, scire nihil.

LXXIX.

De Aulo cogitabundo et nihil cogitante.

Quid tacitus volvit secum, quid cogitat Aulus?
  Quaeris? crede mihi, cogitat ille nihil.
Zenonem vultu vincit, magnumque Platona:
  Mente animi est bruta non melior pecude.

LXXX.

In Gaurum Poetarum contemptorem.

Contemnit vates Gaurus. miremur an ullis
Non tangi brutam carminibus pecudem?

LXXXI.

Ad Cinnam nimis suo ingenio fidentem.

Ingenii, mihi crede, tui fac, Cinna, periclum.
Ingenio incipies fidere, Cinna, minus.

LXXXII.

In magna minantem, nihil extricantem.

Plurima facturum se dicit Glaucia: mallem
At fecisse aliquid diceret, aut facere.

LXXXIII.

In scriptorum omnium contemptorem.

Scriptores spernit cunctos: at scribere si quid
Incipiet, spernet se magis ipse Conon.

LXXXIV.

Cur Crassi mens nequeat ulla ratione pervinci.

Nulla potest ratio Crassi pervincere mentem:
Crassi etenim mentem nulla subit ratio.

LXXXV.

*Ad Lesbiam amoris causa perperam
de Varo judicante.*

Peccat ubi Varus, nil cernis, Lesbia: recte
Si quid agit, veris Lesbia plura vides.
Deceptam assidue ludit, nimiumque videntem,
Et nimium caecam, Lesbia, ridet Amor.

LXXXVI.

In idem argumentum.

In flavo nullas non dotes cernis Amynta.
Sed quae sunt nusquam, Lesbia, cernit Amor.

LXXXVII.

*In laudatorem amicitiae
primam amicitiae legem non servantem.*

Laudat amicitiam, primam sed dicere legem
Horret amicitiae Glaucia: πάντα φίλων.

LXXXVIII.

In Glauciam subducto vultu incedentem.

Subducto incedis vultu gravis, atque beatum
Esse putas, si quem comior alloqueris.
Hoc ego te aversor male spretum, Glaucia; tantae
Si quid forte queam demere stultitiae.

LXXXIX.

Cui nomen Poetae tribuendum sit.

Scribe aliquid proprium; dic quod non dixerit alter,
  Fac jam quod possim dicere, Quinte, tuum.
Qui *facit*, hunc tantum Graji dixere *poëtam*,
  Non qui facta aliis verbaque resque refert.

XC.

In idem argumentum.

Vel nova, si potis es, jubeo te scribere, vel, si
  Non potis es, saltem scribere, Quinte, nove.
Horum qui neutrum vates facit, haud *facit* hercle;
  Nil est cur dici jure poëta velit.

XCI.

In commendatorem minime commendatum.

Commendas alios Lydae; commendet at ipsum
  Qui te, nancisci quem, rogo, Tulle, queas?
Quis faciet, dictoque omni factoque molestum
  Te tamen ut mitis longius illa ferat?

XCII.

Ad Ponticum laudando laudatores aucupantem.

Pontice, me laudas, contra ut lauderis: at ipse
  Mentiri, ingratus ne puter, haud soleo.

XCIII.

In importunum petitorem.

Non semel, at decies quae dixti, Pamphile, per te
Ipse mihi, dici cur mihi vis eadem;
Meque alia atque alia nequidquam voce moneri,
Quae memini, quae sum jam tibi pollicitus?
Non satis est miserum quod vexas tute? gravis quo
Sis magis, adsciscis nempe tibi socios;
Ipsam et mi Lydam, quamvis ex omnibus una
Mi gravis esse nequit, vis tamen esse gravem!

XCIV.

In senem turpia loquentem.

Foede senex, quis te possit perferre patique,
Quae dicis, coetu dicere in ingenuo?
Cui caput incanum est, cui languent scilicet artus;
Lingua sed effoeto in corpore prurit adhuc.

XCV.

Malis carminibus ulcisci malum poetam vult.

Nescio quid fatui scripsi modo carminis, Aule;
Nec volui flammis tradere, uti soleo:
Intactum at potius servo tibi; plena veneni
Ut mihi cum misero tu tua scripta leges,
Sit quo te ulcisci possim, contraque referre
Supplicio ingenti non leve supplicium.

XCVI.

In Glauciam
opinionis suae in omnibus
tenacissimum.

Propugnas nugis, quidquam concedere cuiquam
Dicenti verum, Glaucia, turpe putas.
Turpe est, crede, magis, nunquam non vincere, nunquam
Non primum quavis velle tenere locum;
De lana et stulte rixari saepe caprina,
Atque brevem in gerris quaerere laureolam.

XCVII.

De Quinti stultitia
in amanda Tulla.

Tullam Quintus amat: sese quo sentit amari
Illa magis, Quintum spernit acerba magis.
Dignus et est sperni, vel quod fert, stultus acerbum
Vel nondum Tullae quod videt ingenium.

XCVIII.

In Varum omnia se scire
profitentem.

Omnia scit Varus; nulla versatus in arte,
Nullum doctrina non praeit artificem.
Ut modo quod factum. medicus febrim autumat aegro
Haud esse: ille refert, esse, latere tamen.

XCIX.

De carminibus mali poetae concinne descriptis.

Regali descripta manu, miroque lepore
Ducta videns pulchris carmina literulis,
Dixi, utinam possint sic menti lecta placere,
Conspecta illectis ut placuere oculis.
At menti placuere minus; parvamque poëtae,
Scriptori laudem largior eximiam.

C.

In malum Torquati interpretem.

Torquati interpres, quid de te sit mihi visum,
Dicam equidem, mos est ut meus, ingenue.
Multum operae positum video tibi carmine in isto;
Nullum operae factum sed video pretium.

CI.

In eundem.

Quam jaceat versis eadem sententia verbis,
Torquati vertens verba, Menippe, doces.

CII.

In eundem.

Nec te, Torquatum nec nosti, crede, Menippe,
Tantillus tantum reddere posse putans.

CIII.

In Aulum minime quam multa peccet perspicientem.

Odi te, peccas quod plurima: sed magis odi,
Quod peccare putas te tamen, Aule, nihil.

CIV.

De Lesbia non virtutibus, sed ornatibus clara.

Flaminiam aurato curru terit, aurea tota,
Tota nitens gemmis Lesbia fulgidulis.
Laudatur currus, vestis, carique lapilli:
Ipsa nihil propriae Lesbia laudis habet.

CV.

De Aulo omnia ad numerum faciente.

Nil non ad numerum facit Aulus, nil sine lege.
Ad normam incedit, stat, sedet, eloquitur.
Non sentit se, quod vult omni ex parte decere,
Idcirco haud quidquam sic facere, ut deceat.

CVI.

De Leonilla rubescente.

Multa timet, quae nil, credo, Leonilla timeret,
Ni se formosam crederet esse nimis.
Quo juvenes inter toties pudibunda rubescit,
Virgineus fastu non caret ille pudor.

CVII.

Ad Poetam versibus foeda tractantem.

Dulcis amice, istaec odi tua carmina; foedam
Queis tractas ventris proluviem et crepitus.
Non pudet in turpi mentem versare latrina?
In merdis famam quaerere et ingenii?
Crede mihi, tandem scurrari desine, tandem
Quae deceant vatem verbaque resque vide.
Ne tantum vili placeant tua scripta popello,
Coetibus ingenuis at male displiceant.

CVIII.

In Aulum Atheum.

Nullum nosse Deum dixit te Cinnamus, Aule;
Id nigram dictum dicis ob invidiam.
Dicis: sed cuivis possit quis fidere dicto
Illius, haud ullum qui putet esse Deum?
Vita face id clamet simul omnis, detque videndam
Quidquid ages vulgo se tua relligio.

CIX.

In Antigenem malum poetam.

Nescio quod pulchrum narras te scribere carmen.
Id re si vera scripseris, Antigene,
Mirabor, fieri quod scis vix posse, parente
Formosam e foedo surgere progeniem.

CX.

De Tulla rubescente.

Arrisit si quis Tullae, dixitve salutem
Blandius, aut oculos fixit in ore diu,
Continuo incensum lascivo credit amore,
Vesanis uri corda cupidinibus;
Dejectoque rubet vultu, pudibundaque, culpae
Ac probri metuens, lumina figit humi.
Laudo: laudarim multo at mage, conscia lapsae
Jam formae, ac vero credula si speculo,
Nullum se norit jam posse incendere, inani
Desinat et frustra falsa timere metu.

CXI.

In Aeglem nimis sedulam et officiosam.

Nullum non curat, nulli non consulit Aegle,
Sedula nullum omni non juvat officio.
Ergo placet cuntis? cunctis quin displicet. omnes
Urget enim nimia sedulitate gravis.

CXII.

De Marco minus urbano.

Abs te nescio quid nuper mihi, Marce, poposci,
Nec magnum, ut rebar, nec tibi difficile.
Id mihi tam laeve tribuisti, Marce, negatum
Ut posset credo displicuisse minus.

CXIII.

Ad eumdem nil grate facientem.

Plurima grata facis, grate nil, Marce; refertur
Hoc tibi pro meritis gratia nulla tuis.

CXIV.

Ad Nearchum beneficia sua commemorantem.

Cum tua tot memoras toties benefacta, referri
Nec tibi pro meritis aequa, Nearche, doles;
Crede mihi, perdis quidquid bene feceris, et jam
Debetur meritis gratia nulla tuis.

CXV.

Cur Orphitus, qui Tullae placet,
sibi displiceat.

Qui tibi mirifice placet Orphitus, o mea Tulla,
Quaeris mirifice cur mihi displiceat.
Ille solet mecum nil unquam fingere, tecum
Usque tuum sese fingit ad ingenium.

CXVI.

In Porcinam foeda dicentem.

Pace mea dicis te dicere foeda: pudere
Me, Porcina, tui dicam ego pace tua.

CXVII.

Cur certi honores Lollium maneant.

Pulchellus, dives, claro de sanguine cretus,
Quinte, rogas quo sit Lollius ingenio.
Nil opus id quaeri. culmen pertinget honorum
Ille tamen quoquo praeditus ingenio.

CXVIII.

In Postumum officiosum, non autem amicum.

Officii plenum video te, Postume; inanem
Sed verae novi prorsus amicitiae.
Multa facis possis ne me sprevisse videri:
Nil facis at carus noscar ut esse tibi.

CXIX.

Cujusmodi carmine delectetur.

Dulce mihi carmen contingat, Vare, leporis
Et plenum, et multo lumine fulgidulum;
Nec careat nervis, mentem at percellat, et imos
Lectori sensus incitet attonito,
Et rerum omnigenas varia sub imagine formas
Ipsis admoveat subjiciatque oculis.
Hoc ego mi carmen cupio: nova carmina condat
Mirator Musae Glaucia barbaricae,
Et moestas Jungi tacita sub nocte querelas
Divinae anteferat, si volet, Iliadi.

CXX.

Ad Albium immerito ab Aegle laudatum.

Unum te in cunctis mire tua quod probat Aegle,
Gaude, Albi, quidquam si probat illa boni.
Sin contra nil non pravi; tete ipse probandum
Hoc minus esse puta, quo magis illa probat.

CXXI.

Ad Ursum foeda versibus canentem.

Grandia qui magni vates cecinere, solemus
Nimirum vates dicere grandiloquos.
Dulcia qui modici vates cecinere, solemus
Nimirum vates dicere dulciloquos.
Quid si quis merdas humilis canit, ut facis, Urse?
Nonne decet vatem dicere merdiloquum?

CXXII.

Ad Varronem
cuncta in auriculas secreto insusurrantem.

Cuncta mihi, Varro, secretam dicis in aurem.
Hora quota est? quinam nubila ventus agit?
Et genus hoc nugas. quae malim arcana recondas,
Et serves tacito in pectore cuncta tibi;
Atque meas posthac nolis deponere quidquid
Occurrit menti futile in auriculas.

CXXIII.

In hominem
immerito ceteris honore praelatum.

Quod se praelatum longe videt omnibus Aulus,
  Praeferri dignum scilicet esse putat,
Nec meminit, quo sit praelatus judice, vincat
  Omnes quam sola Glaucia stultitia.

CXXIV.

In Avitum Ciceronis scripta
minime admirantem.

Magnum te credis, quod non miraris, Avite,
  Romani scripsit quae pater eloquii.
Ast ego te contra perparvum perque pusillum
  Vel solum (mitto caetera) ob hoc habeo,
Vecordi, sensu casso quod nil sapit illud,
  Nulli non mirum, qui sapit, ingenium.

CXXV.

De Tullae simulantis natura.

Qui Tullam alloquitur nemo non credit amari:
  Tam blanda est verbis dulcibus, ore, oculo.
Verum usu Tullam si quis perspexit, amoris
  Signa illaec prorsus vana fuisse dolet;
Cogitur erroris discussa et nocte fateri
  Quantum res prima discrepet a facie.

CXXVI.

De incertis Gelliae blanditiis.

Eximie carum ante alios te Gellia dicit,
Dignum et prae cunctis quem colat eximie.
Dicit: verum istud tam blande quod tibi dicit,
Multis saepe aliis, Postume, dicit idem.

CXXVII.

De Phyllide cum juvenibus comsuescente.

Aevo maturos odit, juvenumque catervam
Se circa semper, Postume, Phyllis habet.
Si quaerit moechos, video; sin quaerit amicos,
Cur matura aetas sordeat haud video.

CXXVIII.

In Rufilli insipientis arrogantiam.

Nobilis ac dives coetu Rufillus in omni
Audiri dignum se putat ante alios.
Ergo meras loquitur nugas, narratque molestus
Saepe eadem, et fatuos ingerit usque sales;
Nil et habet pensi quam stulte, quam sine sensu,
Primas dum partes actitet assidue.
Quas pol agit mire; nec quemquam ex omnibus illi
Esse parem possis dicere vel similem,
Hoc si certamus: coetu quis possit in omni
Omnes multiloqua vincere stultitia.

CXXIX.

De Antigene nimium caèli incommoda metuentem.

Nunc austros culpat, boream nunc; laeditur aestu
  Nunc nimio, nimiis nunc male frigoribus;
Nec placido tam grata fluit lux ulla tenore,
  Quam non incuset scilicet Antigenes.
Haec solvit nervos, haec contrahit; haec caput urget
  Languidulum, infirmis haec gravis est genibus;
Haec somnos adimit, fert haec fastidia ventri;
  Haec angit tristi pectora moestitia.
Quid credam? variis tot gigni incommoda ventis?
  Illius an solo nascier e cerebro?
Cui pulchrum quiddam, reor, ingenuumque videtur
  Languor et enervi in corpore mollities.

CXXX.

In Postumum futilia sua iterum atque iterum auribus inculcantem.

Sperno dicta semel, quae dicis, Postume; nulla est
  Queis venus, ingenui mica nec ulla salis.
Quid cum eadem toties memoras, lassisque molestus
  Auribus inculcas atque iterum atque iterum;
Dein iterum atque iterum rursus: nec pausa, nec ullus
  Est finis dictis re sine futilibus?
O Lydam cerebri felicem, quae tamen usque
  Istam fert tantam tam bona stultitiam!

CXXXI.

In Eunum ingratum.

Jam bene promeritum de se fugit Eunus, ob ipsum
Id, credo, quod sum tam bene promeritus.
Nempe pudet, cunctos gestit qui vincere, tantis
Se toties victum quod videt officiis.
Atqui, turpe putat si vinci, turpe minorem
Esse, vir eximiis conspicuus titulis,
Vincere victorem cur non studet, ac facit unde
Major ego incipiam scilicet esse minor?

CXXXII.

De Varo et Gellia aeque fatuis.

Mire cum Varo tibi, Gellia, convenit. aeque
Ambo estis bardi scilicet ac fatui;
Aeque ambo sueti multas garrire per horas,
Dicere nec quidquam pol melius nihilo;
Aeque ambo risu solvi, salsumque putare
Illepidum quidvis, nulla ubi mica salis.
Felices! longum consuescite: tam bene junctam,
Tamque parem nemo solvat amicitiam.

CXXXIII.

In Glauciam illepidum.

Esse aliquem cui non placeas, o Glaucia, crede:
Non erit ut toties tam male displiceas.

CXXIV.

Ad Postumum de Gellia eum vitante.

Quod sapis, hac una, si nescis, Postume, causa
Gellia te vitat, nec sibi vult comitem.
Nempe amat hos, quos ipsa queat male spernere: contra
Odit, queis sperni se male posse videt.
Quid tu? credo illa mavis, quam mente, carere.
Nil tanti est, cupias ut fieri fatuus.

CXXXV.

De Antigene nihil agente.

Quidnam agit Antigenes rerum? nihil. aut nihil, ipso
Aut aliquid certe non melius nihilo.
Sic alius ac deinde alius frustra effluit annus;
Sic omnis misero vita pudenda perit.
Vita? quid? an vitam fas dicere, nil ubi inerti
Quod leto possis praeposuisse vides?

CXXXVI.

In Turpilium foedum poëtam.

Odi Castalidas, Phoebum odi, odique poëtas
Lassatus fatui carmine Turpilii.
Quo lecto, mihi mens, hausto ceu plena veneno,
Torpet; pierios nec meminit numeros;
Nec tibi, quod solita est, persolvere, Lyda, diurnum
Qualiscunque potest carminis officium.

CXXXVII.

Ad Varum venientem,
atque omnia se videre dicentem.

Adveniens video, dixti, Vare, omnia. quid? quam
Non gratus venias, id quoque, Vare, vides?

CXXXVIII.

In senem lasciva loquentem.

Jam tua canities decet ipsum Nestora. Sermo
Cur tuus, Aule, ipsum dedecet Archemorum?
Effoetae vires frigent in corpore, curnam
Sola calet foedis lingua cupidinibus?
Qui tua desuevit jamdudum facta timere,
Foemineus metuit cur tua dicta pudor?

CXXXIX.

De Glycone secreto Tullam alloquente.

Multa, Glyco, Tullae secretam dicis in aurem,
Cui non es, carus quo videare tamen.

CXL.

In Callam et Quintum aeque vecordes.

Cur vecors Gallae Quintus placet? anne quod illi,
Quo magis est vecors, hoc magis est similis?

CXLI.

Cur non possit Gauri carmina probare.

Dicta probo Lydae semper: tua dicta probare,
Ut cupiam, ut coner, Gaure, tamen nequeo.
Obstat enim, quam Lyda colit, quam tu male spernis,
Cui parere uni cogor ego, Ratio.

CXLII.

Ad Postumum beneficium quod tribuit praedicantem.

Quod tribuo, dicis, magnum est: mihi, Postume, sed fit
Continuo parvum, quod mihi sic tribuis.

CXLIII.

De Lyda Antigenem ac Postumum alium alio modo excipiente.

Coeptum opus, Antigenes cum venit, Lyda relinquit:
Venisti cum tu, valdius urget opus.
Non mirum hoc: operi praestat sermo illius; istis
Effutis quae tu, Postume, praestat opus.

CXLIV.

In Cinnamum fastu gravem.

Esse gravem sese vult Cinnamus; et reor, illo
Qui vultu et fastu est, omnibus esse gravem.

CXLV.

De Lydae constantia in Tucca non audiendo.

Multum Lyda sapit, quod te tam saepe vocantem
Non audit, coeptum fortis et urget opus.
Nil sapiat, cessans aequam si praebeat aurem
Sueto multa loqui, dicere, Tucca, nihil.

CXLVI.

Ad Postumum promissis non stantem.

Quae dixi cuicunque semel, stant firma; labascit
Nec mihi captum unquam, Postume, consilium.
Te quoque firmum animi constanti mente putabam
Propositum atque datam posse tenere fidem.
Non potes, ut video; dicta et promissa retractas,
Heu stipula, heu siccis mobilior foliis!
I, quem vis alium posthac tibi quaere sodalem.
Odi ego, qui probrum non putat esse levem.

CXLVII.

Ad puellam in coetu virorum nimis loquacem.

O virgo in coetu nimium verbosa virorum,
Verborum parcus quo pudor ille abiit?
Ille, verecundis qui praepedit ora puellis?
Ille, probat sese quo bona virgo, pudor?
Crede mihi, hunc colito, foede sine garriat illa,
Si qua tibi est, Aegle, moribus absimilis.

CXLVIII.

Ad Aulum.
De Gellia eum sibi semper comitem quaerente.

Omnes stultitia qui vincis scilicet, unum
Vult sibi te comitem Gellia perpetuum;
Unum impune potest quod quam vult spernere, et unum
Testem stultitiae non timet, Aule, suae.

CXLIX.

Animi dotes, sed tantummodo juvenum,
Phyllis amat.

Doctrinam, ingenium, cultumque ac verba diserta
Atque bonos mores denique Phyllis amat.
Hoc mihi sed dici cupio tamen: omnia Phyllis
Haec tantum pulchro cur amat in juvene?

CL.

In Glauciam minime aptum
omnia sibi munera deposcentem.

Nulli aptus nullum non poscis, Glaucia, munus,
Non rem, non vires consulis ipse tuas,
Succedisque oneri laetus, quod te gravet hercle,
Cogat et inflexo succubuisse genu.
Parvum parva decent. probrum sibi comparat ipse,
Qui magnum exiguis viribus audet opus.

CLI.

In Cinnamum Sibyllarum furentium more sua carmina recitantem.

Te vidi ut medio in coetu jacuisse supinum;
Distorquere oculos; triste supercilio
Nescio quid torvo minitari; adducere frontem,
Et mentum apposita saepe fricare manu;
Nil fari; vultu defixo ardere: furore
Esse malo captum, Cinname, credideram.
Nunc coepi ut nugas recitantem audire, furentem
Haud ego te credo, Cinname, sed fatuum.

CLII.

In Aulum res alienas tantummodo curantem.

Livia quid quondam, quid Julia fecerit, Aule,
Scis; nescis conjux quid tua nunc faciat.
Antiquam nosti pulchre curasque, recentem
Atque tuam foede negligis historiam.

CLIII.

In Caecilianum frustra amicitias parare conantem.

Jungis amicitias frustra. tam stultus amari,
Tamque malus cuinam, Caeciliane, potes?
Jungit amicitiam virtus, sapientia jungit:
Addita stultitiae discutit improbitas.

CLIV.

In inconsultum Fabullum.

Quae magni reges, regum et gessere ministri,
Consilio narras plurima gesta tuo.
Cujus consilio fiunt tam multa, Fabulle,
Fac aliquid jam aliquo tu tibi consilio.

CLV.

Postumi senis amores irridet.

Phyllis anus vetulo tibi, Postume, coepit ineptas
Blanda nec invito, dicere delicias.
Risit parvus Amor, gaudens canasque pruinas
Atque sua glaciem posse calere face.

CLVI.

De Ovidii Nasonis versibus judicium.

Ingenium admiror, sed enim, si dicere fas est,
Naso, tuo interdum laedor ab ingenio;
Nec video arguto in versu priscum esse leporem,
Nec, sine quo virtus displicet ipsa, modum.

CLVII.

In Glauciam inamabilem.

Te quod amas, nulli non, Glaucia, credis amari;
Nulli et non odio es, Glaucia, te quod amas.

CLVIII.

Ad Virgunculam minus pudibundam.

Ingenium placet hercle tuum, virguncula: mores
 Ut placeant etiam fac pudibunda tui.
Virgineus quidnam poscat pudor, ista docere
 Muta viros inter, te Violanta potest.
Ingenio esse parem tibi quam cogere fateri,
 Foemineo in coetu cum volet illa loqui.

CLIX.

In stultiloquum Vari sapientis contemptorem.

Multiloquum dicis Varum, rerum optima sacro
 Cum promit docti pectoris ex adyto.
Quid cum tu effutis rerum tot inania? cum nil
 Profers quod prosit cuilibet, aut placeat?
Multiloquum dici te vis? an, verius hercle,
 Multave si dicas, paucave, stultiloquum?

CLX.

Ad Rullum
sibi uni placere velle dicentem.

Uni, Rulle, tibi dicis te velle placere.
 Istud mirabor si tibi contigerit.
Mirabor: nulli qui se scit namque placere,
 Ipsi non potis est, Rulle, placere sibi.

CLXI.

Ad Postumum de mulierum mutabilitate.

Postume, quae toties te vultu excepit amico,
Affata et blando est comiter alloquio,
In te mutatum, quaeris, quid viderit Aegle,
Quae te nunc, tristi dura supercilio,
Vix una interdum venientem voce salutat.
In te mutatum vidit, amice, nihil:
Sponte sed ipsa sua mulier mutatur in horas,
Alternatque omnes fluxa levisque vices.
Fluxa hercle atque levis; folio, plumaque volante,
Et nebula, et vernis mobilior Zephyris.

CLXII.

In quo constans Afra.

Esse levem credis: nihil est constantius Afra.
Quemquam alium nunquam, se modo semper amat.

CLXIII.

Vesanus Alconis amor.

Asper et hirsutus cultuque et moribus Alcon
Idalia fixus cuspide corda gemit;
Incertusque animi pendet, nec pandere vulnus
Insuetum potis est, nec potis occulere;
Ipse suum et primus damnatque oditque furorem;
Indomitus gliscit sed magis usque furor.

CLXIV.

Quaenam bona sint vere judicanda.

Magna, Flacce, domo, magno te dicere censu,
Flacce, queo: magnum dicere pol nequeo.
Vulgus enim supra nil surgis vile, vel ista
Quod bona, quae tribuit Fors tibi, magna putas.

CLXV.

Ad Varum recitare in coetu carmina cupientem.

Nescio quid magnum premit alto in pectore Varus;
Quod ni jam coetu proferat in socio,
Disrumpi metuit. Profer jam denique, Vare,
Quidquid id est, misere te miser haud crucia.
Naturae frustra pugnas. da protinus istud,
Garrule, postremo quod tamen evoluas.

CLXVI.

Laudat Lydam quod communi sensu prae ceteris foeminis praedita sit.

Foemina communi quod sensu est praedita Lyda,
Non parvam id laudem, sed reor eximiam.
Cetera si desint, quod pulchra est, quodque diserta,
Dote omni et praestans corporis atque animi;
Cuncta haec si desint, magnum est quod contigit uni
Certe id, foemineum quo caret omne genus.

CLXVII.

Ad Cinnamum
sibi soli servire praedicantem.

Officio dicis nunquam te, Cinname, duci;
  Id sectari uni quod libitum est animo;
Non aliis, tibi sed soli servire, parantem
  Assidue vitae commoda grata tuae.
Haec facere, haec audes tam prava et foeda fateri?
  Ipse ultro haec de te dicere non dubitas?
Digne o, nullum hominum quod curas, quem procul omnes
  Ab sese aspellant qui sapiunt homines.

CLXVIII.

De Delia exiguas culpas metuente,
et incestos amores exercente.

Exiguas metuit culpas: patrare veretur
  Nil magni contra Delia flagitii.
An mendacioli quid dixerit, anxia quaerit;
  Ne jejuniolum fregerit aegra timet.
Interea incestos praeceps exercet amores,
  Nulla putat sanctae jura pudicitiae.
Quid monstri hoc? eadem cur tam sibi dissidet? id sic,
  Lyda, mihi, mirum ne rear, expedio.
Quod nequam est, quae prima homini, quae maxima in omni
  Sunt vita foede negligit officia.
Ipsa sibi nequam non omni ex parte videri
  Quod studet, in parvis angitur officiis.

CLXIX.

De Hermogenis scriptis.

Apte qui volet, hunc fugiat, qui scribere inepte
    At volet, hunc librum nocte dieque legat;
Par sit ut auctori tandem, ridendus et aeque
    Non intellectos fundat et ipse sonos,
Lectorem et miserum, quidquam nec tale merentem,
    Suffixum in dura torqueat usque cruce.

CLXX.

De Gellia male ignoscente pulchris flagitiosa patrantibus.

Ignoscit pulchris: miratur Gellia foedi
    Si quid forte viri flagitii faciunt.
Humanum patitur. quis non minus improbet illud,
    Esse videt multo quod sibi commodius?

CLXXI.

In Pippum pluries victum victori cedere nolentem.

Prostratus decies, repetis certamina, Pippe,
    Rursus et imprudens in tua probra ruis.
Nec sentis? necdum sentis, quam viribus impar
    Tristia non aequo praelia Marte geras?
Stultum est jam toties victori cedere nolle,
    Jam toties victas nec dare velle manus.

CLXXII.

In Ponticum futilis judicii censorem.

Sperne, licet, quam vis me, Pontice. non minor esse
Mi videor quod tu non mea scripta probas.
Nec, quod tu judex damnaris, futile carmen,
Esse tuum at credo futile judicium.
Laetor et interdum, quod, magno ut priscus Homero,
Sic mihi nempe recens Zoilus obtigeris.

CLXXIII.

De obscuritate scriptorum Hermogenis.

Legi equidem Hermogenem. quae scripsit, Lyda, requiris
Vera putem, an contra falsa. puto attonitus
Nil prorsum; ac miror tantum sic scribere quemquam
Posse, nihil rerum dispicere ut valeam;
Nec veri videar nec falsi cernere quidquam,
Versari et mediis caecus ut in tenebris.

CLXXIV.

Ad Postumum nimis loquacem, ut taceat.

Et voce et verbis nimius jam desine tandem,
Desine jam, nostri, Postume, si miseret.
Pulsatae cunctis mentesque auresque fatiscunt.
Desine, si potis es, Postume, desipere.
Haec iterum atque iterum clamavi: dum tonat altis
Multiloquus verbis audiit ille nihil.

CLXXV.

In Varum lasciva loquentem.

Unde istaec promis tam foeda et turpia, mire
Doctus, Vare, omnem Cypridis historiam?
Grata scit et loquitur quisque ultro, praelia miles,
Aequoreos cursus navita, pastor oves.

CLXXVI.

Ad Quintum male celantem animi sensus.

Qui celare animi sensus nequit, abdita rerum
Et prodens, aliis et sibi saepe nocet,
Non simplex, qualem te dicis, Postume, verum
Est imposve animi scilicet, aut fatuus.
Ut qui vel rerum nescit discrimina, nullis
Praecipitem aut fraenis mentem inhibere potest.

CLXXVII.

De pessima Hermogenis scribendi ratione.

Scribendi ratio quae sit longe optima, scripsit
Sic, scribi ut pejus nil queat, Hermogenes.
Cujus scita potest nemo reprendere, nemo
Quid rerum doceat namque videre potest.
Felix! scribenti cui stulta haec obtigit aetas,
Heracliteis quae capitur tenebris,
Quidquid et obscurum est, plenum et caligine multa,
Doctum, alto scriptum credit et ingenio.

CLXXVIII.

Ad Quintum se eloquio ostentantem.

Eloquium ostentas et perdis, Quinte; disertus
Nec jam, (crede mihi) diceris, at tumidus.
Laudis amor minuit laudem tibi. non bene dicit
Curat qui nimium dicere, Quinte, bene.

CLXXIX.

In Ardelionem cetera omnia praeter sua gerentem.

Ardelio, curas omnes atque omnia: solum
Resque tuas et te negligis, ardelio.

CLXXX.

Ad Avitum moribus minime cultis.

Quid rudis ingenuo in coetu versaris, Avite?
Ut tu aliis, alii displiceantque tibi?

CLXXXI.

Ad Quintum. De Varrone scripta ejus se probare dicente.

Scripta probat, dicis, Varro mea. dic mage, Quinte:
Dicit se Varro scripta probare mea.
Adde, mihi dicit: multos nam saepe videmus
Scriptori haud eadem dicere quae populo.

CLXXXII.

In Rullum loquacem
et ad singula verba haerentem.

Saepe uno in verbo peccas duo vel tria, Rulle.
Nec verbis, jussus parcere, parcis adhuc!

CLXXXIII.

Cur facilis in Flaccum, difficilis in Rullum sit.

Cur Flacco quaecunque rogat do; nil tibi, Rulle?
Dicam pol, mos est ut meus, ingenue.
Ille mihi acceptum fert quod do: tu magis ipsi
Acceptum vereor ne tibi, Rulle, feras:
Ille sibi quoniam nil prorsus, tu tibi contra
Et generi credis debita cuncta tuo.

CLXXXIV.

Ad Rullum nimium sibi confidentem.

Fidis, Rulle, tibi; nec quare fidere possis
Quidquam est; sed fidis tu tibi, Rulle, tamen.
Et quocunque venis, vir magnus credis haberi;
Nulli non ipsis carior esse oculis:
Omnes te laudant, omnes mirantur et optant,
Ingenio capti, moribus atque tuis.
Felix! vecordi, si possim, cur ego demam,
Tanta tibi quae fert gaudia, stultitiam?

CLXXXV.

Ad Silvanum amantem Phyllin.

Non miror quod amas Phyllin, Silvane: venusta est
Illa quidem et lepido non rudis ingenio.
Hoc miror, fieri quod credis posse, rudem te
Informem illepidum Phyllis uti redamet.

CLXXXVI.

De Rulli insipientia.

Rem male quod verbis corrumpit Rullus ineptis,
Infans est, sed enim creditur insipiens.

CLXXXVII.

Ad Postumum in coetu amico nihil dicentem.

Cuncta audire placet, nil dicere: Postume, turpe est
Pasci velle aliis, pascere nolle alios.

CLXXXVIII.

Cur laudatus ab Aulo Aulum minime laudet.

Quod te non laudo laudatus carmine, acerbe
Iratus passim diceris, Aule, queri.
Huic finem ut statuam questu jam denique, totam
Verax rem paucis vocibus expediam.
Immeritus nec amo laudari versibus, ullum
Nec laudo ipse meis versibus immeritum.

CLXXXIX.

Ad Fernandum in coetu amico mente suspensa versantem.

Immotoque haeres vultu, Fernande, nec audis,
Si quis compellans excitat attonitum.
Nempe tuas versas res tecum, et mente sub alta
Nescio quid curae concoquis assiduae.
Verum hoc ut faceres, quam coetus visere amicos,
Te fuerat satius, crede, manere domi.

CXC.

Ad Gelliam nimium viris blandientem.

Blanda viris nimium crebro es. dic, Gellia, fingis,
Anne facis vero, quae facis, ex animo?
Pol medium haec inter nihil est. dic, qualis haberi,
Gellia, vis? mendax, anne pudica parum?

CXCI.

Ad Poetam inopem mira a se inventa ad divitias parandas narrantem.

Nescio quae jactas memoranda inventa, juvari
Unde queant reges, unde queant populi.
Divitias spondes, aliquo si forte lucello
Pauperiem valeas, Batte, levare tuam.
Sed quis posse putet montes largirier aureos,
Qui nec pauca queas aera parare tibi?

CXCII.

Ad Aulum olim comitem.

Quid me, cui comes assiduus dudum ire solebas,
Nunc fugis, Aule? mei te piget? an miseret?

CXCIII.

De Phyllidis probitate ad Gelliam.

Non ductare choros Phyllis, non psallere, dulci
Non cantu attonitis corda subire viris,
Non coetu in juvenum vafro sermone jocari,
Blanda nec Idalio spargere dicta sale;
Gellia, nil horum, quae scis tu, scit mea Phyllis,
Sed, quod tu nescis, scit tamen, esse proba.

CXCIV.

In Censorem indoctum.

Carpe (impune licet) quae scribo, Cinname. scripti
Nil est, quod possim carpere et ipse, tui.

CXCV.

In hominem abutentem divino testimonio.

Plurima qui dicis, tibi nec sat cognita, saltem,
Quinte oro, testem parce vocare Deum.
Impia ne cogar posthac tua dicere dicta,
Quae modo nunc soleo dicere futilia.

CXCVI.

Vir sapiens placere nequit foeminae insipienti.

Optavit sapiens Varro tibi, Tulla, placere,
  Et, quod erat sapiens, hoc tibi displicuit.
Usque amat ille tamen. Quid ni jam, Tulla, placere
  Possit, quem videas tam male desipere?

CXCVII.

Ad Gelliam immodice a poetis laudatam.

Te vates decorant certatim: laudibus impar
  Tantis tu vates, Gellia, dedecoras.
Parva etenim de re scribunt quod magna, vocari
  Jam derisores turpiter incipiunt.

CXCVIII.

Ad Ponticum sui miratorem.

Vis dicam parvi cur fias, Pontice? magni
  Quod te (nec scabies haec latet) ipse facis.
Major eris nobis (conde hoc sub pectore dictum),
  Incipias tandem si minor esse tibi.

CXCIX.

Ad Gelliam. De homine pulchro et insulso.

Quam placeat mihi Cinna rogas me, Gellia. dicam.
  Multum oculis, auri nil placet ille meae.

CC.

Cur Gellia Postumum spernat.

Gellia te foede spernit. ne spernere pergat,
Quam pote tu fieri nempe studes melior.
Heu! tua te stultum spes fallit. Spernere perget
Semper, ni fias, Postume, deterior.
Et certe mirer, tam nequam, tamque superba,
Quemvis illa sibi si probat absimilem.

CCI.

Ad Quintum. De Phyllide pulchra atque insulsa.

Visa procul diva est Phyllis tibi, Quinte; videri
Incipiet, propius cum veniet, mulier.
Quos ignota tuo sub pectore suscitat ignes,
Haud mora, cum fuerit cognita, discutiet.
Hoc habet eximium: flammam infert eminus; omnes
Perfundit multa cominus at glacie.

CCII.

Fastus inanis.

Curnam Galla tumet? quod magnas incolit aedes,
Quod curru egrediens fertur in aureolo,
Ardet quod multo clari fulgore pyropi,
Quod regum nuptis tegmina digna gerit.
Haec inflant fatuam; nec dives, cogitat, ille
Cultus quam vili discrepet a domina.

CCIII.

Contemptrix merito contempta.

Non curru invehitur, non pulchra veste renidet
Quod Phyllis, diti spernitur a Beroë.
Illa tacet: secum tacito sub corde superbam
Ridet, freta suis dotibus, at Beroën.

CCIV.

Cujusmodi senes honore digni sint.

Assurgam vis, Quinte, seni. doctumve bonumve
Si dicis, quid ni protinus exsiliam?
At piger exsurgo, quum sese huc intulit iste,
Quem possis tantum dicere, Marce, senem.

CCV.

In molestum id minime suspicantem.

Esse ulli dicis nunquam te, Cinna, molestum.
Vera loqui si vis, dic magis id te agere.
Hoc scis tute: tua pulsati voce sodales,
Nimirum quod agis, scimus an efficias.

CCVI.

In senem nunquam canescentem.

Et merito senior non cano es vertice, prudens
Dissideat fatuo ne coma consilio.

CCVII.

Consuetudines jungendas esse cum aequalibus.

Polla senes, juvenes Pollam sprevere. quid ergo?
In vacua moeret sola relicta domo;
Nec se disparibus sperat jam posse placere,
Optat frustra ipsos et revocare pares.

CCVIII.

In Lycum Patriam divitiis corrumpentem.

Hoc tibi divitiae praestant, Lyce; perdere luxu
Non modo te ut possis, verum etiam patriam.
Impensis quae saepe tuis grata orgia ducit,
Dementi fervens ebria laetitia.
Scilicet ut, moris si pars super ulla severi est,
Pessum pulsa novis moribus omnis eat.
Hic tibi opum quando est usus, quid comprecer, istas
Ni tibi ut in cinerem fors mala vertat opes?

CCIX.

Ad Gallam nimium admirantem Varum.

Quidquid agit Varus, magnum tibi, Galla, videtur,
Nec miror; forma qui nitet eximia.
Mirer, quidquid agunt, deformi corpore qui sunt,
Esset ni prorsum futile et exiguum.
Exigis ad veri normam nihil: omnia quanti
Sint pretii, sola quaeris et in facie.

CCX.

Pauca loqui in juvene non parva laus.

Pauca loqui praestat: non omnes, Marce, doceto;
Interdumque aliquid discere ama juvenis.
Ut nihil addiscas, merces non parva tacendi
Is tibi erit, qui nunc fertur abesse, pudor.

CCXI.

In Postumum suas laudes recitantem.

Ipse tuas recitas laudes; possentque probari,
(Credo equidem) ipse illas, Postume, ni recites.
Praeco istaec perdis praeconia. deperit omne
Laudis, ubi proprio prodit ab ore, decus.
Nequam est ac turpis, de se praeclara sonantem
Ingenuus quem non praepedit ille pudor.

CCXII.

De Cinna sapienti inter puellas desipiente.

Cinna viros inter sapiens, cuicunque puellae
Assedit, subito fit sibi dissimilis;
Et fatuos promit lusus, et quidquid inepti est
Haud dubitat primus dicere vel facere.
Quem malus abrumpat ni ludum, fallor? an ipsos
Inter jam sapiens desinet esse viros?

CCXIII.

Desidiam Quinti in opibus carpit.

Quid tua magna domus tibi magnum, quid tibi pulchrum
 Quinte, affert? nempe hoc denique, nil ut agas;
Ut ludo noctem, lucem ut consumere somno,
 Teque velis omni perdere desidia.
Isto at si proavis placuisset vivere pacto,
 Quae magna est, esset quam tua parva domus!

CCXIV.

Ad Varum mente vagantem.

Mens ubi, Vare, tua est? quanam regione vagatur?
 Illa tuo certe non manet in capite.
Nil audis rerum quas dicimus; omnia contra
 Respondes; sensu dicta carent. Revoca,
Clamo iterum, revoca sua rursum ad munia mentem;
 Unde abiit, vacuum coge redire caput.
Vana loquor. possit quae pars audire monentem,
 Errat nubiferis hinc procul in spatiis.

CCXV.

Carmina Pontici grata auditu, ingrata lectu.

Quae recitas, audita placent. Si lecta placerent,
 Esses pol vates, Pontice, mirificus.
Verum aures vincunt oculi. tibi credere nec vult
 Lector, sed credit callidus ipse sibi.

CCXVI.

In inopem divites spernentem.

Spernis inops magnos opibus. vel res tibi major,
Vel fastus cupio sit minor, Antigene.

CCXVII.

Carpit Tuccam nimis in narrando prolixum.

Quae dicis, dic, Tucca, brevi. cognoscere finem
Haud possum, quoties principium haud memini.

CCXVIII.

In concinnum malorum carminum recitatorem.

Sic recitas nemo ut melius; nec me tamen, Aule,
Fallis. laudo unum hoc, tam bene quod recitas.

CCXIX.

Ad Quintum vitia sua minime videntem.

Qui sic est nequam, nequam ut sese putet ipse,
Non longo is nequam tempore, Quinte, manet.
Nequitiam qui nec sentit, quis tempore in ullo
Nequitiae hunc credat ponere posse modum?
Quare non vitio tam laedor, Quinte, tuo, quam
Expers quod vitii, Quinte, videre tibi.

CCXX.

Ad Laberium nugarum propugnatorem.

Propugnas nugis. crebrae quae denique litis
Digna refers, quaeso, praemia, dic Laberi?
Nunc alios falli pandis, nunc falleris ipse.
Contemptum haec, odium res parat illa tibi.

CCXXI.

In recitatorem incompositum.

Vocem infla magnam quantumvis, brachia jacta,
Frontem, oculos, ambo tende supercilia;
Non tamen efficies pulchrum ut sit carmen, amice,
Quod recitas. carmen se nisi sustineat,
Ipsum commendet ni sese, crede, popellum
Istae vix fatuum decipient phalerae.
Carmen ego pendo non aure oculisve, sed una
Mente. hanc da pondus quod facit ad trutinam.

CCXXII.

De Antigene proceres assidue invisente.

Nullum non procerum assiduus visitque colitque,
Nulli non carum se putat Antigenes;
Et magnos inter jam credit se quoque magnum,
Et proceres inter, se quoque jam procerem.
Se tamen agnoscet, spero, ponetque tumorem,
Cum patriam repetet, sordida rura, suam.

CCXXIII.

De Tulla monitus contemnente.

Tulla, manum vita suspectam: saepe monebam:
Contempsit monitus illa sed usque meos;
Et juvenis dextram stulte perpessa protervi est,
Dici dum metuit nempe severa nimis.
Ergo quid factum? juvenis jam Tulla protervi
Suspectam haud patitur, sed petit ipsa manum.

CCXXIV.

Ad Phyllida amoris furores minime cohibentem.

Percita vesano quod mens tibi fervet amore,
Non turpe id Phylli, est, sed magis est miserum.
Insanum quod non cohibes at, Phylli, furorem,
Atque ruis, mentem quo malus urget amor,
Id non tam miserum, quam turpe est; unde mereri
Non veniam possis, at magis opprobria.
Illud naturae vitium est: hoc (desine Amoris
Caussari stulte spicula), Phylli, tuum.

CCXXV.

In censorem se vatibus exaequantem.

Exaequas censor te vatibus! an labor idem
Est opus effectum cernere, et efficere?

CCXXVI.

In Afrae impudentis libidinem.

Qua se cunque tulit, foedum fert Afra lupanar,
  Prodens nequitiae signa pudenda suae.
Turba procax, teneri circum densantur amantes;
  Occursant cupidis lumina luminibus;
Effraenis tumido gliscit sub corde libido,
  Extremum quae mox proruat in facinus.
Sic olim Actaea, credo, se Thais in urbe
  Spectandam populi densa per ora dabat.
Proh pudor! inversi nullo proh vindice mores!
  Haec cernes? haec tu, Martia Roma, feres?

CCXXVII.

Ad Quintum elinguem assidente poeta.

Fis mecum elinguis; nec miror, Quinte. molesto
  Si quando assedi, mi quoque lingua perit.

CCXXVIII.

De Tullae trutina
in pensandis amicorum scriptis.

Quod scribo, Tullae nil non vulgare videtur.
  Scribat si Lycidas, jam foret eximium;
Mirum si Damon; divinum si Polybotes.
  Sic ut amat, vatum suspicit ingenia.

CCXXIX.

In Barrum plurima se scire ostentantem.

Plurima scit Barrus. potius dic, plurima nescit:
Nescit qui partem scit modo dimidiam.

CCXXX.

Ad Rullum nulli se odio esse jactantem.

Esse odio nulli jactat se Rullus. opinor,
Sic est: quem spernit, nemo habet hunc odio.

CCXXXI.

In Glauciam acceptis honoribus indignum.

Haud honor acceptus decorat te, Glaucia; honorem
Tu magis acceptum, Glaucia, dedecoras.

CCXXXII.

In idem argumentum.

In summo non tu clares, ut credis, honore:
In te sed summus, Glaucia, sordet honor.

CCXXXIII.

Ad Quintum in errore tuendo pertinacem.

Errorem agnoscis? veniam do, Quinte. tueris?
Culpo cum parvo pravum etiam ingenium.

CCXXXIV.

In adolescentem aptum philosophiae, minus aptum poësi.

Aptum te Sophiae fecit Natura, negavit
Ipsa tibi carmen condere suavidicum.
Tu tamen, a studiis procul et clamore Lycaei,
Assidue Pindo vivis in aërio;
Et nec philosophus vis, nec potes esse poëta.
Ingenium hoc, illud tu tibi, stulte, negas.

CCXXXV.

In idem argumentum.

Ingenium huc, illuc tua fert te, Crasse, voluntas;
Nec quam vis, nec quam rem potes, assequeris.

CCXXXVI.

Ad Bolanum nimis negligentem in uxore custodienda.

Uxori mire fidis, Bolane; puellam
Atque suo facilis vivere more sinis;
Quo vult ire; domi quicum vult esse; venusto
Saepe diem totum ducere cum Marato.
Felix! sorte datum cui nil metuisse, virorum
Cetera turba suo quod metuit capiti.
Felix pol! saltem donec nescire licebit,
Non servata suam servet an illa fidem.

CCXXXVII.

In Cinnam in minimis maximum.

Maximus in minimis, credo, vult Cinna videri.
  Incidit et si quid forte negotioli,
Omnia disquirit; partes rem versat in omnes,
  Et se consultis enecat atque alios.
Sed magna quisquis tractat res mole pusillas,
  Pol minimus rebus noscitur in minimis.

CCXXXVIII.

Ad Gallam,
ut abstineat a prensandis manu viris.

Galla, manum cohibe, nimium quae blanda virorum
  Perfert, vitandas et petit ipsa manus;
Conscia nec metuit mirantis lumina turbae,
  Atque senum spernit triste supercilium.
Famae parce tuae. quid clam factura putetur,
  Si liceat, mulier, quae facit ista palam?

CCXXXIX.

In idem argumentum.

Vidisti; visam alloqueris; jam tangere Gallam
  Coepisti. extremum scis, puto, quid metuam.
Saepe manum quisquis tangit, vix evenit unquam
  Gestiat ut solam tangere, Quinte, manum.

CCXL.

Ad Lycorim fictis comis onustam.

Quae Venus es, fieri gaudes turrita Cybele,
  Dum struis aggestas, pulchra Lycori, comas;
Et molem imponis flavum supra caput altam,
  Quantam non Atlas caelifer ille ferat.
Quam metuo, sic te cultam parvusque Cupido,
  Atque tuae subito ne fugiant Charites!

LIBER QUARTUS.

EPIGRAMMATA LUDICRA.

I.

De Aegles mutabilitate in exercendis amoribus.

Mopse, doles Lycidam tua quod tibi praetulit Aegle,
    Praeque illo jam te deputat esse nihil.
Parce queri. praefert illum nunc omnibus; illi
    Ipsum te rursus praeferet, aut alium.
Ut levis est, longos haud unquam exercet amores.
    It, redit, inceptum saepe recurrit iter.
Ipsam se, credo (tanta inconstantia menti est),
    Mobilis alterna spernit amatque vice.

II.

Ad Gelliam immanes mitras gerentem.

Immanes inter mitras, redimicula, vittas
    Parva, tuam video, Gellia, vix faciem;
Et soleo velis tot plexo conque voluto
    Ornatu in capitis quaerere saepe caput.

III.

De foeminea forma Cinnae.

Pulcher erat juvenis muliebri corpore Cinna;
Esse et adhuc pulchrum se putat ille, senex.
Fallitur. est visus quondam formosa puella:
Corpore nunc gracili foeda videtur anus.

IV.

Ad Postumum ut ne nimis loquatur.

Quaeris pauca loqui possis quanam arte. taceri
Quidquid erit dignum, Postume, si taceas.
At metuo, es nimium ne qui nunc garrulus, ipso
Fias verborum parcior Harpocrate.

V.

De Phyllidis felicitate
in fatuis ac foedis amandis.

Phyllis amat mentem fatuos, et corpora foedos.
Felix! nemo illi, quos amat, eripiet.

VI.

Cur praesente Corvino taceat Polla.

Cur taceat, Pollam rogitas, Corvine. recede
Tu procul; id quisquam non erit ut rogitet.

VII.

De Phyllidis in amantes mutabilitate.

Fallere quae fertur, Phyllis non fallit amantes.
Nullum ficte, omnes diligit ast breviter;
Nec tantum apparet, parvo post tempore sed fit,
Mire mutato pectore, prorsum alia.
Nescit quid fraudes, nescit constantia quid sit.
Nulla usquam est mulier verior et levior.

VIII.

De Phyllide
neminem nisi cultores suos probante.

Qui te, Phylli, colit, re mirus praestat in omni:
At qui te contra non colit, est nihili.
Dic, ipsam num te virtutem reris? ut ille
Sit major quisquis te mage, Phylli, colit?

IX.

In Cinnamum
insipientiam suam loquendo prodentem.

Scire aliquid tacitum credo: nil scire loquentem
Ut credam interdum, Cinname, sollicitor.
Omnia quae dicis tam sordent, illa videri
Ut possit fossor dicere, non medicus.
Quam ni vis ob rem contemni, Cinname, disce
Jam non Hippocratis scita, sed Harpocratis.

X.

Ad Quintum
aleae damna Lydae narrantem.

Quantum numorum tibi dempserit alea pernox
Quod Lydae narras, non erit ut noceat.
Verum id, Quinte, aliis noli narrare puellis,
Excussum numis ne male despiciant.

XI.

Ad Varum ob honores romanae togae
intumescentem.

Qui nihili est, quamvis nullo non auctus honore
Clareat, ille tamen non minus est nihili.
Hoc moneo te, Vare, tibi si forte videris
Magnus romuleae factus honore togae.

XII.

In malum poëtam,
quem moeroris levandi causa
scribere jussit.

Moeroris magna pressus ne mole fatiscas,
Jussi te carmen scribere laetificum.
Jussi; et prospexi pulchre tibi. nam tuus ille
Moeror jam nubes fugit in aërias.
At male consului nobis; queis carmen ineptum
Immanem adduxit, Pontice, moestitiam.

XIII.

Ad Tullam omnia festinantem.

Omnia festinas, maturo tempore, Tulla,
Nil peragis. studio parce quieta tuo.
Ut tibi praescriptam nil denique fiat ad horam,
Quamvis desideas, non minus efficies.

XIV.

Ad Gelliam de Cinna semper ei ad aurem secreto insusurrante.

Gellia, praecipuum tibi se vult Cinna putari.
Ergo secretam garrit in auriculam,
Seu pluvio dicat densari nubila caelo,
Seu boreae culpet flamina, sive noti,
Sive aliquid narret factum dictumve, quod omni
Jam nemo quisquam nesciat e populo.
Ulcisci pulchre vis tandem, Gellia, ineptum,
Frigidulam et vanae affundere gloriolae?
Dic clare quidquid respondes. proditus hercle
Obgannire auri desinet ille tuae.

XV.

Cur medicos fugiat.

Quam possum fugio medicos: audire cruore,
Et pure, et merdis omnia plena piget.

XVI.

Quando sibi scribendi onus leviter,
quando graviter feratur.

Num grave sit jubeor cum scribere, Cinna, requiris.
Nil levius, me cum scribere Lyda jubet.
Cum tu, cumque alius quivis, (hoc vera loquenti
Pace tua liceat dicere) nil gravius.

XVII.

Cur dijudicante de carminibus suis Lyda,
Poëta semper gaudeat.

Lyda probat semper mea carmina. quae bona si sunt,
Laetor quod sapiat, sin mala, me quod amet.

XVIII.

In medicum
tristitiam morbis narrandis cientem.

Laetus eram: venio tibi nunc heu moestus, amice.
Nescio quae medicum Fors mala in Hermogenem
Egit me incautum, mihi nil et tale verentem.
Is me conspectum protinus arripuit;
Is morbos centum centenaque funera narrans,
Omnes mi ex omni pectore laetitias
Expulit; et misero frontem contraxit, et atra
Complevit moestum nube supercilium.

XIX.

De senectutis immunitatibus.

Quid mihi contulerit, quam laudo saepe, senectus,
Tulla, rogas? forma ut laeter et ipse tua;
Et tecum ut crebro verser, possimque videri
Ut tuus, interea sim tamen usque meus.

XX.

Cur melius Postumo valeat.

Quaeris cur valeam melius te, Postume? dicam.
Una mihi morbi est causa; tibi geminae.
Mi Natura modo fert morbos: at tibi, praeter
Naturam, morbos fert etiam medicus.

XXI.

In narratorem tristem morborum.

Si quis forte levi risu quassatur ineptus;
Laetitiae si quis ponere fraena cupit;
Is medicum, morbos narrantem scilicet omnes,
Morborum et causas, audiat Hermocratem.

XXII.

De Varo omnia fortunae tribuente.

Fortunae tribuis, quae jactas, omnia, Vare.
Infelix! tandem da, tibi quod tribuam.

XXIII.

*De malefactis
ad pacandam Lesbiam adhibendis.*

Quo cupio magis usque, magis quo conor, amicam
Esse mihi hoc video te minus atque minus.
Frustra est alternum quidquid progignit amorem;
Quidquid amicitiam jungere suevit, obest.
Officiis parcam posthac; maledictaque, Phylli,
Te mea jam, mea te jam malefacta petent.
Experiar, possintne odio mollescere tandem
Effera, quae durat, pectora, mitis amor.

XXIV.

*Ad Varum male odium in Tullam
cientem.*

Dignam odio Tullam sic, Vare, ostendis, in illam
Arserit ut miro pectus amore mihi.

XXV.

De mutuis commodis in ingenio dissimili.

Pulchre cum Quinto mihi convenit. ille docere
Semper amat; semper discere at ipse aliquid.
Illum multa loqui, garritu et parcere nunquam;
Me, cum res poscit, dicere pauca juvat.
Sic est ille mihi, sum sic ego commodus illi,
Dissimili et mire jungimur ingenio.

XXVI.

De medicis contemnendis ad Lydam.

Quaeris qui valeam tam firmo corpore? dicam.
 A me omnes longe submoveo medicos.
Quod si quem patior mihi venam tangere, quidquid
 Praescripsit, monuit, credere nil soleo.
Tu fac idem, mea Lyda; viamque insiste valendi,
 Quam monstro, fortis pectore magnanimo.
Re jam docta scies, medicos qui despuit omnes,
 Ut validus nullis indigeat medicis. (1)

XXVII.

In aegre ferentem nocentis supplicium.

Comprendique doles Burrum., plectique nocentem.
 An tibi quod multum profuit ille nocens?

XXVIII.

Ad Pollam quaerentem
cur viro suo placeat extera tellus.

Polla, viro quaeris placeat curnam extera tellus.
 Quaere domus potius cur sua displiceat.

---

(1) Parendum tamen est divino oraculo: *honora medicum propter necessitatem*. si quidem hoc loco medici nomine significentur etiam clinici, qui morbis, non soli chirurgi, qui vulneribus medentur.

XXIX.

Ad Salicetum Archiatrum de epigrammate ad eum a M. Pizzellia misso.

Quod scripsi de te carmen, Salicete, pusillum,
 Donavi Mariae, misit at illa tibi.
Id placuit; nec pol miror. Si mitteret illa,
 Vel Bavii carmen posse placere puto.

XXX.

Conjugii bona ex adversis conjugum studiis.

Afra Lino gravis est, Afrae Linus. hoc fit ut ambo
 Longe semoti vivere discupiant;
Et, sibi secedens ipsi dum consulit, aeque
 Optatis alter serviat alterius.
Hic amor est, credo, quem dixti, Lesbia: conjux
 Alter enim alterius vultque paratque bonum.

XXXI.

In Menippum senem inter foeminas ineptientem.

Aequalem Priamo rugis multaque Menippum
 Quem possis merito dicere canitie,
Foemineo in coetu stulte cum blandus ineptit
 Omnimodis, flavum dixeris esse Parin:
Nec tamen idcirco metuas ne corda calescat
 Ulla Helene, blandum ne velit ulla sequi.

XXXII.

In militis gloriosi socordiam.

Egregius miles magna hostem voce lacessit
Lolius, et saevas intonat ore minas.
Quid contra inclamet si forte haud territus ille?
Corripit indecorem territus ipse fugam.

XXXIII.

De mitella minus Tullam decente.

Optavit mirata tuam sibi Tulla mitellam,
Illam aeque sese posse decere putans.
Illa sed haud decuit: deerat namque ista venustas,
Qua tu, quidquid habes, Lyda, decenter habes.

XXXIV.

In Coranum medicum medicos culpantem.

Quotquot sunt medicos carpit culpatque Coranus;
Omnibus ignotam solus it ille viam.
Rectum et forsan iter solus tenet, ipse periclo
Sanus at id metuam discere velle meo.

XXXV.

De pulchritudine.

Forma quid est? fulsit quae mira tempore parvo
Quum specie, in rugas desinit ac senium.

XXXVI.

De terrifica Pholoës deformitate.

Immodicus formae si quis mirator honestae
Aegrum foemineo pectus ab igne calet,
Annosam videat Pholoën, foeda ora, fluentes
Usque oculos, raro jam sine crine caput.
Dispeream veluti visa ni Gorgone, versos
Frigeat extincto saxeus igne sinus.

XXXVII.

De Aegle Antigeni semper annuente.

Aegle oculis audit, non auribus: omnia pulchra
Jurat, quae pulcher dixerit Antigenes.

XXXVIII.

Ad Postumum uxori servientem.

Uxori servire tuae te, Postume, dicunt.
Ultro si servis, gratulor: illa sibi
Invitum dura sin vi servire coegit,
Miror stultitiam, dulcis amice, tuam.

XXXIX.

Ad hominem importunum.

Num quid forte vacem rogitas. mihi Cinna (molestus
Quin misero tandem desinis esse?) vaco.

XL.

De amore Celsi,
et de Phyllidis fastidio.

Phyllida Celsus amat, Celsum fastidit et odit
Phyllis, laude, reor, dignus uterque pari.
Aequus et ille suum tribuit jus Phyllidi; et illi
Jus tribuit Phyllis non minus aequa suum.

XLI.

De Quintilla uxore Crassum illustrante.

Quintillam Crassi dicunt: ego dicere semper
Crassum Quintillae verius at soleo.
Major laude virum longe praeit illa minorem,
Ac tota late claret in urbe magis;
Crassus et ipse, reor, cum vult praeclarus haberi,
Quintillae sese praedicat esse virum.

XLII.

Ad Lydam
de Chirurgo ei venam incidente.

Iste tuus vitae largitor, Lyda, peremptos
Qui prope jam caecis excitat e tumulis;
Cum tibi contingit salientem sanguine venam,
Ima mihi trepido corda pavore micant.
Arte valet, fateor; verum ars me territat ipsa.
Lyda, manu horrendum est tangier a medica.

XLIII.

Ad Gelliam nimis genio indulgentem.

Quid deceat, quid non, scis pulchre, Gellia, cunctas
Officii et leges una docere potes.
Verum animo indulges nimium: jucunda voluptas
Captam saepe suis abripit illecebris.
Hinc et blanda novos juvenes curasque fovesque,
Et longum notos negligis hirta senes.

XLIV.

Ad Lydam. De pulchro.

Arida cui macies abductos contrahit artus,
Ac tenui circum vix tegit ossa cute;
Cui longos nutant imitantia crura bacillos;
Cui corpus graciles aequat araneolos;
Hic miram est formam nactus, te judice, Lyda,
Huic pulchro fieri contigit eximie.
Quid dicam? fuerit si quis mihi scilicet hostis,
Optabo pulcher fiat ut ille tibi.

XLV.

In Ponticum Iliadem dono postulantem.

Mi versam Iliadem poscis tibi, Pontice, dono.
Credo lecta tibi quod placet eximie.
Verum id quod credo, certo ut pernoscere possim,
Blanditim dono quam tibi poscis, eme.

XLVI.

In hominem imperiosum.

Nullo non isti parebis tempore? sic te
Arbitrio saevus verset agatque suo?
Sic, quam tute aliis coleris, tam postulet a te,
Mutatis foede partibus, ipse coli?
Qui modo cum venit coeptum te abrumpere torvus
Jussit opus, tota et mente vacare sibi.

XLVII.

Ad Marcum jactantem senectutem.

Annosam toties qui jactas, Marce, senectam,
Decoxisse, aliquod num decus esse putas?

XLVIII.

De prole gemina Lydae, et de multa Gelliae.

Lyda suam gemina duntaxat prole, tuam tu
Auxisti multa, Gellia, prole domum.
Sed quis non auri potius duo magna talenta,
Quam sibi quadrantum millia multa velit?

XLIX.

Ad Marcum de sua cum eo amicitia.

Ne quid, Marce, nimis: primus quod dicor, amicos
Inter postremus suspicor esse tuos.

L.

Certamen inter Tullum et Pollam.

Tulle, doces Pollam; te dedocet illa. quid? istud
Certamen quorsum denique, Tulle, cadet?
Illa, erit ut sapiat, quod non pote; quod pote contra,
An magis, ut pariter tu quoque desipias?
Vita istud (crebro vincunt pejora) periclum.
Te tua jam perdent stulta magisteria.

LI.

Ad Avitum interpellatorem quaerentem quam valeat et quam sit districtus.

Quaeris, quam valeam, quam sim districtus, Avite.
Nec valeo, et rebus distrahor innumeris,
Quandocunque aliquis, notus mihi nomine tantum,
Me vexare aliquo forte labore parat.

LII.

De Lydae eadem iterum narrantis lepore.

Fabula, cum primo narrasti, grata; secundo
Cum narras, eadem est fabula grata tamen.
Non res delectat mentem nova: sed tuus iste,
Iste tuus fantis, Lyda venusta, lepos.
Qui dum aderit, narra quidvis iterumque iterumque:
Dicta queo decies dicta putare semel.

LIII.

Quid in Tullo ob stultitiam beato censeat invidendum.

Esse mihi invidiae dicis te, Rulle; nec hercle
Diffiteor: sed scin' quid tibi ego invideam?
Invideo talis quod te non spernis, et esse
Non risu dignum credis, at invidia.
Hanc tibi pol, laetum quae te facit atque beatum,
Hanc tibi ego, fateor, stultitiam invideo.

LIV.

De viro uxoris taedio saepius ab urbe discedente.

Cur procul externas toties se ferret in oras
Perstabat miserum Polla rogare virum:
Ingemuit tandem ille; *invisam iratus* et *urbem*
Dixit, non ausus dicere, *te fugio*.

LV.

Cui Deo pro medicis litandum sit.

Almae cum medicis male convenit, Aule, saluti.
Alma fame affligit namque salus medicos.
Et medici invisam tristes odere salutem,
Atque homines divam perdere saepe solent.
Quare, pro medico facies cum sacra, saluti
Non te, sed morbis, Aule, litare decet.

LVI.

Ad Gelliam amorem pro genere atque opibus perperam partientem.

Ut genus est, ut opes, cuivis partiris amorem.
Si scis quid sit amor, Gellia, dispeream.

LVII.

Ad Gelliam de Thyrsidis nomine commutato.

Quam sensum haud subeat praesens tibi, Gellia, Thyrsis,
Ex re parva equidem, sed liquido edidici;
Quum discedentem visa es nec nosse, vocasti
Nec Thyrsin, verso nomine sed Lycidam.

LVIII.

De se a Tulla spreto.

Tullae spretus ego dolui. quid Tulla? dolorem
Saeva meum sensit, nec tamen indoluit.
Posthac, quandoquidem satis est mi cognita, spernat
Me quam vult, spretus non erit ut doleam.

LIX.

Ad Glauciam non re, sed verbis tantummodo officiosum.

Num quid opus, rogitas. nil, Glaucia, praeter amicum,
Sponte sua videat qui mihi quid sit opus.

LX.

Non.

Quas Lacedaemonii poscenti haud aequa Philippo,
Has tibi ego mitto tres modo literulas.
Quas nisi vis mitti tam duras, tamque molestas,
Quod superest unum, fac magis aequa roges.

LXI.

Ad Accam retia assiduo labore texentem.

Noctes atque dies quid retia texere gaudes?
Anne opus ut mores indicet, Acca, tuos?

LXII.

De Nice uni Varo pulchra.

Nice uni est Varo pulcherrima: cetera pulchram
Turba negat. Varus lumina solus habet?
Luminibus caret an solus; nec vera, sed, ipse
Quae sibi mente solet fingere, falsa videt?

LXIII.

De falso Tullae judicio.

Qui ferus est aliis, comis tibi Flaccus; habeto
Comem Tulla; ferum dici aliis sinito.
Id si ferre nequis; dic illi, praebeat ut se
Talem aliis, qualem praebuit usque tibi.

LXIV.

De insulsis salibus Plauti.

Sal nunquam Actaeum credo gustasse, tuos qui
  Insulsos possunt, Plaute, probare sales.
Queis cum Romulidum plaudebat vulgus, agresti
  Graecia nondum artes intulerat Latio.
Sic homines foeda vixerunt glande beati,
  Cum fruges nondum severat alma Ceres.

LXV.

Ad Phyllida
frustra amorem celare conantem.

Frustra, Phylli, tegis, frustra mentiris amorem.
  Crede mihi, haud dubiis proderis indiciis.
Nec fictam potis es pro vera obtrudere flammam,
  Nec veram potis es, gliscit ubi, occulere.
Vafras ergo aliis linque artes: tu sine fuco
  Mentem aperi, missis fraudibus, ingenuam.

LXVI.

Ad amicum
vulgo male audientem.

Nolo ego pol vulgus de te quae narrat, amice,
  Credere. Si vulgus vera tamen loquitur,
Te tibi dissimilem miror doleoque, tuique
  Exopto fias rursus ut assimilis.

LXVII.

Peccasse aliquid in carmine timet quod laudetur a Cinna.

Cinna, meum carmen laudasti denique. ne quid
Magnum peccassem in carmine, pertimui.

LXVIII.

De Gellia se non mutabilem profitente.

Dicit mutari nunquam se Gellia. quidni,
Quod dicit, vere dici ego confiteor?
Omni se in vita nunquam ipsam desiit, omni
In vita nunquam coepit amare alios.

LXIX.

De Aegles ac Lydae forma.

Displicet Aegle aliis: Lydae placet. an sua forma
Quod formae objectu crescit ab oppositae?

LXX.

De Aegle neminem inveniente quem redamet.

Quaerit amicitias; et multos invenit Aegle,
Quos amet, haud ullum putida, quem redamet.
Nam petit ignotum, notum fugit; optat amari,
Odit amatorem semper acerba suum.

LXXI.

In Varum
Lydam sibi totam vindicare conante.

Varus adest: cari longe migrate sodales.
Solus vult, pulsis omnibus, ille coli.
Ille sibi Lydam solus deposcit: amicam
Ulli praeterea non sinit esse viro.
Vos migrate alio: me nulla injuria vincet,
Ne patiens quaevis non patienda feram.

LXXII.

Ad Postumum maledictis fictis adulantem.

Ut placeas Lydae, fictis maledicere verbis
Mirus adulator, Postume, saepe soles;
Nec magis ulla, reor, nostrae praeconia laudis,
Istaec Lyda sibi quam maledicta velit.
Quae cur non malo possim conferre, proterva
Damoetam e latebris quo Galatea petit?

LIBER SEXTUS.

EPIGRAMMATA VARIA.

I.

Moerenti Postumo opem si quam potest pollicetur.

Heu! tacitum dirus lacerat dolor, altaque cura
Saevit, et immani pondere corda premit.
Non me dejecti vultus, defixaque fallunt
Lumina, nec verso nullus in ore color.
Quidquid id est, cela ne, Postume. ferre juvabit
Vel tibi opem, misero vel miserum adgemere.

II.

Ad Quintum arbitrio uxoris omnia gerentem.

Uxor Parca tibi est: quae fatur cunque, necesse est,
Quinte, velis nolis, omnia confieri.
Quidquid agas, animo quae destinat illa, geruntur;
Verba tibi incassum votaque spesque cadunt.

III.

De uxore virum ad arbitrium agente.

Nil non moliris frustra; tamen omnia fient
Serius aut citius, quae volet Herophile.
Fraena viro injecit conjux, ducitque volentem
Usque suo, invitum vel trahit, arbitrio.

IV.

Purgat se Lydae.

Quod similem dixi tibi prima aetate puellam,
Non est cur possit pulchra puella queri.
Parce queri tu, Lyda; tuae, o pulcherrima, formae
Non par illa mihi, dicta sed est similis.
Sic Helenae, credo, multo cum grandior esset,
Tros aliquis juvenem contulit Andromacham.

V.

Ad sacrum Jesu infantis Praesepe.

Hanc rupem, densis haec saxa horrentia dumis
Incoluit Caeli missus ab arce puer.
Impulit hic moestis primas vagitibus auras,
Hic riguit duro mollia membra gelu,
Pastorum hic nullo vidit munuscula cultu,
Et Regum ante suos sceptra jacere pedes.
Hospes, flecte genu; demisso et vertice pronus
Fige solo multis oscula cum lacrymis.

VI.

Poëta conatur Lydae quam minimum displicere.

In te, Lyda, mihi quando nil displicet; in me
    Saltem pauca velim quae tibi displiceant.
Hoc certe conor quavis: longoque labore
    Ingenti et sudio forsitan efficiam.
Efficiam hoc certe, conor quas demere mendas
    Ipse mihi ut facilis tu patiare magis.

VII.

Vaticinium de Violanta aegrotante.

Vidi formosum prope sicco germine florem
    Languidulum in prato deposuisse caput:
Vidi sed rursum caelesti rore madentem
    Laetum purpureis, Lyda, vigere comis.
Vaticinor: tua sic rursum Violanta vigebit,
    Languida quae tristi nunc jacet aegra toro.

VIII.

Minerva vicisset, si non Paris, verum Hector judicasset.

Parva Venus magnae forma est praelata Minervae;
    Judicium fecit mollis at ille Paris.
Magnanimus quod si judex foret Hector, haberet,
    Credo equidem, primum magna Minerva decus.

IX.

Ad Lydam
de Violanta filia minus aegrotante.

Obscura sub nocte tibi quod lucis obortum
Est quiddam, toto gratulor ex animo.
Sume animos, mea Lyda: procul vis effera morbi
Cedit Paeoniis victa sub auxiliis.
Cui metuis, jam jam dulcis Violanta valebit;
Et matrem amplectens sospes et incolumis,
Bis debere tibi vitam se dicet, ab atra
Praecipue curis morte recepta tuis.

X.

Qua ratione malis placere Varus possit.

Quaeris, Vare, malis qua possis arte placere.
Si tibi sis ipsi quam pote dissimilis.
Sed nihil est tanti, natura, moribus atque
Tam bonus, esse velis ut tibi dissimilis.

XI.

De interpellatis lectionibus
ad Lydam.

Mille morae officiunt tecum, mea Lyda, legenti,
Quaeque lego cogunt ponere de manibus.
Nec periisse tamen mihi tempus conqueror. Ulla
Qua tecum versor non perit hora mihi.

XII.

Ad Lydam
nihil nimium admirantem.

Quod tibi nil nimium video, mea Lyda, placere,
Hoc in te nimium mi, mea Lyda, placet.

XIII.

Graeculorum invidorum censuram contemnit.

Nil moveor sannis paucorum. Quae mea pauci
Lividuli carpunt carmina, Roma probat.

XIV.

Laudat Lydam.

Inter Romuleas quaenam sit prima puellas
Si roger, haud dubitem dicere, Lyda mea est.
Nec verear ne quis credat me falsa locutum,
Si de se vocem nesciat ipsa meam.

XV.

Castigat Aviti tarditatem in mandatis
obeundis.

Cur tibi quae mando, lente moliris, Avite?
Quae mihi tu mandas cur citus expedio?
Anne quod officium tete urget triste; ciet me
Ille volans penna praepete laetus amor?

XVI.

De carminibus suis a Lyda recitatis.

Cum mea mi recitas tu carmina, Lyda, videntur
 Carmina pol mire tum mea pulchra mihi.
Tum sensus, tum verba placent, tum nil hiat usquam,
 Nil durum est usquam, nil sonat asperius,
Nil est non salsum, nil se non sensibus imis
 Insinuat dulci dulcius ambrosia.
Tunc ego me primo, veram dein altius ut rem
 Inspexi, tantum te, mea Lyda, probo.

XVII.

Ad Balthassarem Odescalchium V. C.

Ingens Romuleae, Balthassar, gloria gentis,
 Magnam istis orna divitiis patriam;
Et spolia externis ferto huc a gentibus, auro
 Cara magis, Pario cara magis lapide.
Lucis non oculi specie lactantur inani;
 Nostrum at fruge bona pascitur ingenium.

XVIII.

De Violantae valetudine auguratio.

Qualem te in somnis vidi, Violanta, valere,
 En erit ut videam te, Violanta, vigil?
Augurium certe placuit: mea visa sequetur
 Cum res, somne, tibi qualia dona feram!

XIX.

Augurium ex somnio
Violantae aegrotantis recuperandae.

Vidi ego te in somnis, laetam, Violanta, sedere
Plena erat omnigena mensa ubi structa dape,
Florentemque, rosae ac similem, morboque levatam
Prorsum omni vesci gnaviter appositis.
Vidi, credo equidem, non frustra. ludere inani
Me vatem Phoebus non solet augurio.

XX.

Pizzelliam in Lydae nomine
latere docet.

Qui Lydam legit heic, nec te Pizzellia novit,
Quae lateat Lydae in nomine diva, rogat.
Sed qui te novit, Lydae sub nomine laudes,
Me tacito, agnoscit protinus ipse tuas.

XXI.

De Gellia immerito irrisa.

Ridetur, subito capitis perculsa periclo
Gellia clamorem quod tremefacta dedit.
Quidquid agat, quidquid dicat, ridetur: inepti
Quamvis nil faciat, fertur inepta tamen.
Infelix! toties miserae cui non sua culpa,
Sed livor, mendax et nocet invidia.

XXII.

De Lydae et Balthassaris Odescalchii laudibus.

Et Lydam feci magni, et te, Balthasar; usque
 Praestantes aeque dotibus eximiis;
Ingenioque acres, faciles et moribus aureis,
 Instructosque omni ditem animum sophia.
Nunc quod tu Lydam, te Lyda observat, uterque
 (Quod rebar jam vix posse aliqua fieri)
Hercle mihi coepit multo laudatior esse,
 Esse mihi multo coepit amabilior.

XXIII.

De Violanta graviter aegrotante.

Aegrotat Violanta; pavet cor fixa dolore
 Lyda parens: jubeor scribere carmen ego.
Possem utinam. garrire levis solet; anxia corda
 Quae premit immani pondere, cura silet.

XXIV.

Ars atque ingenium ad doctrinam necessaria.

Qualem se, pennis hinc atque hinc nixa, volucris
 Sublimem nubes tollit in aërias;
Talis doctrinae se mens in templa serena
 Atque arte atque acri promovet ingenio.
His freta est alis; harum si forte soluta
 Alterutra est, casu corruit Icario.

XXV.

De Lydae judicio.

Lyda, probas mea si tot carmina, digna probari
Quod sint, judicium mi placet hercle tuum.
Si non digna, probas tamen omnia, mi placet hercle
Magnus, judicium qui tibi perdit, amor.

XXVI.

Ad Balthassarem Odescalchium Mariam versibus celebrantem.

Laudasti Mariam sic, Balthasar, ut prope, nullo
Aequandam, aequaris carmine materiem.

XXVII.

In Postumum senem multorum flagitia sine indignatione narrantem.

Annosusque, gravis cano et jam vertice, multa
Multorum narras, Postume, flagitia.
Quae cum depingis, nec damnas, tu (mihi crede)
Ipse facis magnum, Postume, flagitium.

XXVIII.

Russii tumulus.

Russius heic homines inter jacet. hercle jacere
Inter solivagas dignior ille feras.

XXIX.

De artis atque ingenii ad doctrinam necessitate.

Proficit ingenio non multum, qui caret arte:
Qui caret ingenio, proficit arte nihil.

XXX.

De Cajo Mario eruditionis experte.

Dure Mari, spreto velis quem turba Metello
Afrorum turmas misit in armigeras,
Artibus o utinam Grajis Musisque litasses,
Aetas primum olim quum tua ver ageret?
Cultus enim melius, melius patriaeque saluti
Et famae poteras consuluisse tuae.

XXXI.

Voltaeri tumulus.

Conditus heic superûm est risor Voltaerus: eodem
Condi scripta viri digna fuere loco.

XXXII.

Lecturus Homerum cum Lyda.

Altos, Lyda, boni sensus quaeramus Homeri:
Ortum, obitum quaerant, factaque Grammatici.
Scire sat est, Phoebi quam multo lumine plenus,
Scire sat est, quanto scripserit ingenio.

XXXIII.

Ad Lydam, quae mulierem torvo vultu pulchram dicebat.

Nec mihi foeminea placeat vir, Lyda, virili
Nec mulier forma. laus sua quemque decet.
Quare istam, torvo Mavors cui spirat in ore,
Ut solita es, pulchram dicere parce, precor.
Te potius gaude non falsa laude probari,
Cui placido mitis ridet in ore Venus.

XXXIV.

De Violanta ob matris discessum aegrotante.

Digressu carae doluit Violanta parentis,
Haec morbi causa est: hinc, reor, aegra jacet.
Lyda, veni: amissus te discedente redibit
Artubus atque animo te veniente vigor.

XXXV.

De laudibus Lydae et Violantae.

Sic matrem Violanta colit, subjectior esse
Ut nequeat dominae fida ministra suae:
Sic illi mater se indulget tota, sorori
Ut nequeat dulcis comior esse soror.
Hoc certamen habent, sese ut gerat illa minorem;
Haec contra ut cupide se gerat usque parem.

XXXVI.

De Lydae hortulo ac villula.

Hunc amat, hunc hortum visit mea Lyda, pusillam
Hanc bona cum gnatis gaudet adire domum.
Gaude parva domus, gaude hortule. carmina si quid
Nostra valent, vobis non leve nomen erit;
Vosque sibi ostendi, rarae monumenta puellae,
Longinquo veniens hospes ab orbe volet.

XXXVII.

In idem argumentum.

Parva domus, nec nota urbi, tuque hortule, qui nunc
Spretus et haud ulla cultus ab arte jaces;
Pulchra suis huc si cum gnatis cumque bonorum
Tot comitum coetu se mea Lyda ferat;
Incipies late multa clarescere laude,
Et passim ferri multa per ora virum;
Atque, mihi si Musae aderunt, si dexter Apollo,
Ipsis dici hortis clarior Hesperidum.

XXXVIII.

Commoda senectutis.

Quid mihi longa ferat quaeris, mea Lyda, senectus?
Pernoscam laudes ut magis usque tuas;
Quoque minus fatuo mens haec turbatur amore,
Hoc videam, quam sis digna ut amere, magis.

XXXIX.

In aereum alati juvenis simulacrum.

Aliger hic juvenis spiranti ut vivit in aere!
    Ut viget! ut summum vix pede tangit humum!
Ut fugit! aërias ut se prope tollit in auras,
    Atque leves pernix antevolat Zephyros!
Ille quidem pandit pennas: per inane videtur
    Posse vel, ut pennas dempseris, ire tamen.

XL.

Hominis desiderium nil praeter Deum explere potest.

Nullo laeta bono satis est, quo denique parto,
    Mens aliquid cernit, quod velit, ulterius.
Hoc tibi si memori defiges pectore, Tulle,
    (Heu Tulle, usque favet cui bona Fors, animus
At desiderio nunquam non flagrat inani!)
    In solo incipies figere vota Deo.

XLI.

Qualem contingere sibi cupiat amicum.

Odi, percussus plagam qui celat amicus,
    Et coecum in tacito pectore vulnus alit;
Quem laesum nescis, cum laeseris; esse videtur
    Qui laetus, moesta cum tibi mente tumet.
Hic mihi contingat, quo possim scire tacente,
    Esse nihil factum possit ut ille queri.

XLII.

Ad Lydam de Violanta filia e morbo melius habente.

Tandem aliquid longam post noctem est lucis obortum,
   Febris ubi advenit serior et levior.
Spes matri, Violanta, tuae, spes omnibus alma
   Complevit dulci pectora laetitia.
Quid faciet post spem quum caeli e parte serena
   Pulchra salus niveis venerit alitibus?

XLIII.

Quaenam pulchra sint.

Quae sint pulchra rogas? quae, quamquam, Tulle, videnti
   Cur placeant nequeas dicere, visa placent.

XLIV.

Unde Rivalis nomen originem habeat.

Unde habeat nomen *Rivalis*, Lyda, requiris.
   Communi a *rivo* nomen habere patet;
Quem sibi, ceu proprium, siquis male vindicat uni
   Irae ac rixantum jurgia saeva calent.
Huic simile exercet si quos certamen amantes,
   Rivales vulgo dicere quisque solet.
Quod genus hercle tuos nemo est, Lyda, inter amicos,
   Qui te concordi pectore semper amant.
Nam rixas cohibet virtus tua, seque pudica
   Mente coli miti gaudet amicitia.

XLV.

Ad Balthassarem Odescalchium rusticaturum.

Hinc procul in virides ibis tu, Balthasar, agros:
Hic maneo assiduus cultor at urbis ego.
Nec tamen hic desit ruris mihi multa voluptas,
Rura ego si celeri visere mente velim;
Et rupes spectare altas, et lustra ferarum
Horrida, sed quamvis horrida, pulchra tamen;
Prata, lacus liquidos, labentia flumina, fontes
Ingenuos, laetum per juga celsa pecus,
Et varios volucrum lusus, et quidquid amoeni est,
Quodque animos pulchra visum hilaret specie.
Haec mihi ubi mentem pascent spectacla, videnti
Non erit haec eadem tristis ut invideam.
Verum animi laetus dicam: tu quaerito rura
Quae tibi vis, in me sunt mea rura mihi.

XLVI.

De importuna hominis querimonia.

Esse gravem Lydae quum te indignaris, Alexi,
Pergis et arguto multa dolore loqui,
Et miseram questu assiduo vexare puellam,
Signaque mutati dicere cuncta animi;
Qui gravis es (nam cur dicam te falsa videre?)
Sic tamen, ut facili te bona mente ferat,
Ipsa jam, credo, fies onerosior Aetna,
Ingens suppositum quae premit Enceladum.

XLVII.

Ad patrem filiumque amicos redeuntes in urbem.

Et pater et gnatus pariter salvete. sodales
Cari ambos laeti ut cernimus huc reduces!
Queis procul avectis moeror nos altus habebat,
Ac desiderii vix erat hercle modus;
Mensibus et multis sunt visi tardius ire
Bis duo, qui ruri vos tenuere dies.
Hoc scit Amor quinam fiat, brevis hora videri
Ut saeclo possit longior esse tamen.

XLVIII.

De suis carminibus.

Auctor ego an placeam propter mea carmina, propter
An mea me auctorem carmina displiceant,
Si quis forte roget, dicam: scit Lyda, sed hercle
Ignotum prorsus vult tamen esse mihi.

XLIX.

De gaudio Phyllidis ob adventum Daphnidis.

Phylli, tuus venit Daphnis tibi. gaudia frustra
Magna cupis tacito clausa tenere sinu.
Laetum oculi micuere; viget frons laeta; sereno
Laetitiae subitus risit in ore lepor.
Haec frustra tacitam produnt. vultum occule. vultus,
Phylli, tibi, tacitum quod cupis, eloquitur.

L.

De Phyllide fastidiente Thyrsida.

Thyrsis adest: frustra invisum conaris amico,
  Phylli, tamen vultu comiter excipere.
Ore, oculis, moesta produnt se taedia fronte,
  Atque ipsa fictus voce negatur amor.
Nam quoties flammas mentita est, ipsa refutat
  Sese languidulo frigida lingua sono.

LI.

Laudat Petri versus.

Petre, tuis capior numeris. nec dicere pronum
  Est mihi cur capiar; mirifice at capior;
Atque aures, totum et penitus complet mihi pectus
  Nescio quid dulci dulcius ambrosia.
Quid credam? tua me tantum ars movet? an meus in te
  Arti aliquid, placeat quo magis, addit amor?

LII.

Ad Avienum cultorem falsae amicitiae.

Esse mihi infensum, qui te mihi dicis amicum,
  Nescire haud possum, possum, Aviene, pati.
Quî nescire queam, verbis contraria quod res
  Discendi haud cupidum, me tamen usque docet?
Nam facile infensum patior, quem denique sprevi
  Cultorem falsae laesus amicitiae.

LII.

Comitem Lydae se iturum quolibet dicit.

Dixti, cum Lyda visne ire? locumque parabas
Dicere; respondi sed prior ipse, volo.

LIV.

Ad Balthassarem Odescalchium delicias urbis rus adducentem.

Rura petis magna comitum stipante caterva,
Tecum et laetificum ducis, amice, chorum.
Nempe urbi adsuetus (liceat quod dicere) vita
Nescis quas habeat rustica delicias:
Mane novo aërios quam dulce invisere saltus,
Umbrosum densis et nemus ilicibus;
Riparumque toros atque antra virentia musco,
Nympharum dulces Naiadum latebras.
Tum lepori pedicas, tum retia ponere damis,
Tum misso incautam figere avem calamo.
Dein garrire aliquid quod reddere gaudeat Echo,
Aut tacitum adspectu pascere dulci oculos.
Hinc errant niveique greges armentaque laeta,
Agricola hinc duram vomere findit humum.
Hinc laetas mittit voces frondator ad auras,
Hinc pastor grato carmine mulcet oves.
Hinc ...Quid plura sequar frustra? me ruris amoeni
Scilicet hae capiunt, Balthasar, illecebrae.
Vita tibi sordet male rustica; rus tibi et ipsum
Displicet, urbana si careat specie.

LV.

Levat animi aegritudinem ruris solitudine.

Intonsi montes, et densae in montibus umbrae,
   Horrendum hirsutis et nemus ilicibus,
Accipite hunc, hominum vitans consortia fertur
   Qui nulla humano qua via trita pede;
Atque suis quaerit lacrimis longoque dolori,
   Si quam nancisci forte queat, latebram.
Est aliquid moesto solum tabescere fletu,
   Ima ubi jam saevus venit in ossa dolor,
Moeror et immanis nulla est potis arte levari,
   Oblatamque animus respuit aeger opem.
Me miserum! hoc tantum fertis mihi, rura beata?
   Rura meis quondam cognita deliciis!

LVI.

De Tulla nimium Varroni obsequente.

Nil Tulla est melius, nil comius, ulla placere
   Nec magis est cultis foemina digna viris,
Cum procul est Varro: sed Varro ut venit, acerba
   Omnibus est aliis, et rudis, asperior
Et rusco. omnimodis solum colit atque veretur,
   Nec renuit soli, quo vocat, ire comes,
Jure alii quamvis doleant se nempe relinqui
   Urbani spretis legibus officii.
Varroni similis fit scilicet ipsa, suosque
   Deserit, et mores migrat in alterius.

LVII.

Ad Dafnida gregis obliviscentem in amanda Aegle.

Aeglem, Daphni, canis tu sola in rupe: vagantur
  Incustoditae per nemus at pecudes;
Queis lupus adrepit raptor. cape robora, Daphni,
  Saxa cape, ac miserum, Daphni, tuere gregem.
Surge, age, Daphni; gradum celera: ferus ingruit ille;
  Ille tibi niveam jam rapit acer ovem.
Quid loquor? heu, vacuas frustra dilapsa per auras,
  In ventum ac nubes irrita verba volant.
Nil audit; sola mentem defixus in Aegle,
  Nec memor est pecoris, nec memor ipse sui.

LVIII.

Daphnida ad canendum invitat.

Aurora en roseo pulchrum caput extulit ortu,
  Atque deam lenes antevolant Zephyri.
Pelle, o Daphni, greges in pascua: surgere tempus
  Ocyus, et mollem deseruisse torum.
Ibimus aërios in saltus, rura beata,
  Pinguis ubi multo gramine terra viret.
Illic lanigeras dulci mulcebis avena
  Tu pecudes; dicam carmina laetus ego.
Carmina, quae pulchrae de monte aut valle propinqua
  Auribus arrectis excipiant Dryades;
Et Lydae (eximias Lydae nam dicere laudes
  Mens est) eximiis laudibus invideant.

LIX.

Ad Daphnin ut redeat.

Daphni, redi. vacuis tu cessas lentus in agris:
Te procul hic Pholoën pulcher amat Lycidas;
Illa novos flavi juvenis nec spernit amores.
Cara tibi est Pholoë si tua, Daphni, redi.

LX.

Questibus indulget.

Hic nemus, et liquidi fontes, et mollia prata,
Et levis arboreas ventilat aura comas.
Hic paullum cessare juvat, sternique sub umbra,
Et querulas inter dicere carmen aves;
Quod procul excipiatque cavis e rupibus Echo,
Nec renuat moestos moesta referre sonos;
Et spretos olim infelix quae flevit amores,
Questubus et lacrimis adgemat aequa meis.

LXI.

De se carmina Terentii legente.

Sic mihi suavidici mulcent cor verba Terenti,
Sirenum cantu dulcia verba magis,
Ut, si quid peccat, videam nihil: omnia mira
Aeque vesano coecus amore putem.
Id mihi ego ignotum nuper contingere sensi;
Admonitu et didici, Lyda, cavere tuo.

LXII.

Adveniente rus Lyda.

Ridet ager, subita capti dulcedine ludunt
  Passim lanigeri lata per arva greges.
Laeta magis viridi late se gramine vestit,
  Laeta magis vario flore renidet humus.
Laeta magis placidi circum fremit aura favoni,
  Laeta magis puro fulget ab axe dies.
Fallor an huc venit?... non fallor: rura beata
  Venit ad haec fausto jam mea Lyda pede.

LXIII.

In Aulum interpellatorem.

Si pars ulla vacat mihi temporis, hanc tibi poscis,
  Aule, mihi ne pars temporis ulla vacet:
Ut mihi, perpetui post taedia longa laboris,
  Si qua datur, pereat, te rapiente, quies;
Qua sine vitalem possim quî dicere vitam,
  Nec liber vili cedere mancipio?

LXIV.

Cur hoc saeclo vario colore fucentur vestes.

Cur vario vestem fucant haec saecla colore,
  Priscis quae fuerat candida temporibus?
Illis quod placuit prorsum omni sorde carere:
  Nobis quod sordes nunc placet occulere.

LXV.

In Aulum novos mores consectantem.

More novo fieri quidquid videt, id probat Aulus.
Tamne, etiam ut morem legibus anteferat?
Tamne, ut more novo toties jam perditus, ultro
More novo perdi se tamen usque velit?
Ut nolit, liceat cum salvo vivere, multos
Quod videat passim se dare praecipites?

LXVI.

Ad Petrum, ut secum Albanum excurrat.

Petre, veni, Albanos tecum hinc excurrere in agros
Mens avet, atque meum visere Staiadem.
Nam si forte alio visam comitante, foret mi
Pol bene tantum illic tempus ad exiguum.
At tecum laetusque ibo, laetusque redibo,
Atque fruar solido gaudia plena die.

LXVII.

De Varo et Beroë.

Diva tibi visa est Beroë, Beroënque potitus
Sperabas vitam ducere caelicolum.
At nunc, Vare, jugo postquam illi es nexus eodem,
Nec divam credis, vitaque caelicolum
Illa ubi sit quaeris; felicem et conjuge si quis
Te vocat, imo altum corde trahis gemitum.

LXVIII.

Quae sit in scribendo novitas.

Lyda, putas nihil esse novum, quod scribimus. aedem
Sic etiam nullam dixeris esse novam.
Quippe etenim, ut struimus veterum nos dicta virorum,
Sic fabri antiquos cura struit lapides.
Quo fit opus, vetus est: operis nova forma, novumque
Ipsum etiam, formam cui dedit auctor, opus.
Sic nova sunt, spero, mea carmina; sic novus iste
Sermo est, suavidico qui fluit ore tibi.

LXIX.

Ad Cinnamum contemnentem dignitate principes viros.

Purpureos quot sunt contemnis, Cinname, patres,
Omnes et nullo dicis habere loco.
Dicis, quem populo res venditat una, quod esse
Purpurei fratrem contigit esse patris.

LXX.

De Ciceronis praestantia inter alios scriptores aetatis suae.

Tullium ut exaequet bello tibi, restat, opinor,
Caesar, qui te illi comparat eloquio.
Aequaevis tanto praestat scriptoribus ille,
Quanto ingens parvis amnibus oceanus.

LXXI.

De mutuo Alconis et Pholoës amore per conjugium mutato.

Nuper vesano Pholoës ardebat amore
Optans toto Alcon pectore conjugium.
Conjugio tandem sperata et sorte potitus,
Mutatus sociam vix patitur Pholoën:
Quaerit et eximias dotes quas captus amabat,
Spesque fuisse suas somnia vana dolet.

LXXII.

Ad Quintum satis laudabilem ob dotes, quas habet.

Si quod abest laedet, nemo laudabitur unquam.
In te, Quinte, boni laudo egò quidquid adest.
Nec dives fertur si quis rerum omnia, rerum
Sed si quis tantum plurima possideat.

LXXIII.

Ad Postumum hominem ingenio nec satis parvo, nec satis magno.

Vel minus ingenii, vel plus tibi, Postume, inesse
Optarim; turbes omnia ne toties;
Dum tibi praefidens conaris grandia, dum, quae
Conaris, nescis, qua decet, efficere.

LXXIV.

Ad Leuconem Pictorem egregium discedentem.

Nunquam utinam nossem te, Leucon! haud ego certe
Flerem digressu moestus, amice, tuo;
Nec desiderio frustra tabescere inani
Cogerer, atque istas saepe dolere vias.
I tamen, i laetis avibus, laudemque referto,
Et cape virtutis praemia digna tuae;
Et quascunque coles terras, qui cogitat usque,
Usque tuus tete qui Perelaus amat,
Fac saepe occurrat memori tibi; fac tibi saltem
Oblito prorsus ne fluat ex animo.

LXXV.

De Janetta catella.

O longe ante alias omnes formosa catella,
Dulce o formosae delicium dominae;
Quae mihi, cum venio, tam laeta occurrere semper,
Moestaque, cum cedo, pone venire soles;
Blandiri assidue, circum gannire, meamque
Lambere velle manum, velle cubare sinu;
Fida, vigil, mitis, nulli non cara catella,
Quam colis et servas digna catella domo;
Non ego te ignotam saeclis, Janetta, futuris,
Inque meis nullam versibus esse feram:
Sed scribam de te, tibi quod passerque Catulli,
Teii et invideat pulchra columba senis.

LXXVI.

Laus foeminarum a Lydae moribus.

Odit foemineum si quis genus asper, acerbus,
Immanis, videat te, mea Lyda, volo,
Atque tuos noscat mores. mutatus amare
Foemineum incipiet protinus ille genus.

LXXVII.

Ad malum quemdam poetarum ducem.

Quem legere ducem sibi vates, munere fungi
Qualiscunque tuo vis tamen egregie?
Esse jube veterum similes ubi carmina condent,
Atque tui contra, quam pote, dissimiles.

LXXVIII.

De laudibus Lydae narrantis.

Malim ego narrantem te, Lyda, audire, sub ipsis
Quam, mihi quae narras, cuncta videre oculis.
Non etenim verbis tantum aequas omnia rerum,
Sed longe, ornatrix mirifica, exsuperas;
Et quae pulchra parum sunt in se, pulchra putare
Ille tuo affusus cogit ab ore lepos.
Hoc fuit ante alios tibi quod fortasse molestus
Poscere, Lyda, tuas institerim historias:
Hoc propter dolui frustratus, cum mea vota,
Et spes in ventos irrita cessit heri.

LXXIX.

In Quintum contemnentem carmina, si minime nova sint.

Ni nova sint, spernis qui carmina, Quinte, puellae
Quin spernis pulchram, ni nova sit, faciem?
Quin aurum spernis? gemmas quin spernis, ocellis
Quod gratus fulgor nil habet ille novi?
Quinte, novum satis est, quod pulchrum quodque decorum est,
Hoc ut inest, insunt omnia carminibus.

LXXX.

Ad Postumum de diversis utriusque in Lydam studiis.

Ipse tibi Lydam nimium laudare, videris
At mihi tu Lydam, Postume, nosse parum.
Quis nostrum peccet non nostrum est dicere, peccat
Judicio absimili sed tamen alteruter.
Verum ego si pecco, tribuo non debita; si tu
Peccas, quod pudeat, debita non tribuis.

LXXXI.

In amici discedentis digressu.

I felix; tibi nec, flentem quem linquis, amicus
Oblito prorsus defluat ex animo.
Ipse meum quoties cor nam alloquar (id pote amoris
Vi fieri) tecum, dulcis amice, loquar.

LXXXII.

Ad Lydam de filio laudato.

Petri, Lyda, tui multa de laude loquentem
Si meque audires Staiadenque meum;
Largo, credo equidem, fletu materna rigares
Non sine jucunda lumina laetitia,
Tali et felicem posses te dicere nato
Sic, matre ut felix dicitur ille sua.

LXXXIII.

Lydae a morbo recreatae gratulatur.

Qui tibi, Lyda, dolor nec opinus viscera torsit,
Percussit subito pol mihi corda metu,
Ac totum moerore animum complevit amaro,
Dum nil non tacito in pectore triste puto
Quod nunc ergo vales, tibi laetus gratulor, ipse
Et videor tecum convaluisse mihi.

LXXXIV.

De Violanta apud Moniales commorante.

Te socia ut gaudent omnes, ut nulla sororum
Non vultu praefert gaudia magna suo!
Nec facile est dictu quinam locus, an domus, anne
Hoc magis hospitium laude tua resonet.
O rara! o nullis non mire dotibus aucta!
O prope jam matri par, Violanta, tuae!

LXXXV.

De carminibus Jungi tristitiam cientibus.

Ante diem anxifera si quis tabescere cura,
Perdi et amat miseris sollicitudinibus;
Junge, tuum carmen, noctes et verset amaras
Rupe sub, horrenti conditus aut nemore.
Me teneant Graji vates, vatesque Latini,
Quosque Arni ad ripas educat Italia.
Horum laetifico tristis mi carmine moeror
In nubem, aërios et fugit in Zephyros;
Spes redeunt; dulci trepidant praecordia motu,
Totaque mens pulchris ridet imaginibus.

LXXXVI.

De Violanta regredi domum cupiente.

Multas sum matres, multas et nacta sorores,
Felix, felicem nomina si faciunt.
Sin res; prae matrum turba, turbaque sororum
Una mihi mater, frater et unus erat.
Haec secum interdum, credo, Violanta; paternam
Et cupit in tacita mente redire domum.

LXXXVII.

De foemina senes aversante.

Odit Polla senem. fuge, Postume. spes tibi nulla
Jam superest: fies nam magis usque senex.

LXXXVIII.

Vota pro Lydae valetudine.

Alma salus, habili comples quae membra vigore,
Languoremque abigis, pallidulam et maciem,
Huc ades, et lymphas, queis mersat se bona Lyda,
Tange tua praesens tu, dea, tange manu.
Illa tuo valeat si munere, quas tibi laudes,
Quae tibi ego laetus carmina grata canam!
Carmina quae veniens non ulla obliteret aetas,
Fervet ubi, verus qualia dictat Amor.

LXXXIX.

De Lagoide Lucam petente.

Magna urbes inter Roma est, at Luca pusilla;
Multum habet at Lucae Roma quod invideat.
Nam Tiberim linquit nulli non cara Lagois,
Aesaris et ripas udaque rura petit.
Nec placeas tibi, Luca, tamen. mox illa recurret.
Non erit invideat cur tibi Roma diu.

XC.

Cur Lydam tantummodo laudet.

Lydam cur laudo solam? quod sola videtur
Illa mihi haud impar laudibus esse meis.
Parcus in hac dicor: mirari et scribere si quam
Vellem aliam, dici prodigus inciperem.

XCI.

Ad Tullum
quam probetur nondum sentientem.

In te displiceat num quid mihi, Tulle, rogasti.
  Dicam equidem vero candidus ex animo.
Displicet hoc unum, tua dictaque factaque cuncta
  Quod nondum sentis quam mihi perplaceant.

XCII.

Spernit hominem sibi in amore
non respondentem.

Ipse ut amem, redames nec tu, mi Postume, longum
  Vix potui, possum ferre nec ulterius.
Tu tibi quaere alium, qui sit mage dignus amari;
  Qui me amet ipse alium forsitan inveniam.
Certe non curas consumam semper inanes
  In trunco demens et gelido in lapide.

XCIII.

Ad Lydam cur ei legat ultro sua carmina.

Quid deceat, quid non, sic cernis, Lyda, latere
  Ut te nil usquam posse rear vitii.
Curnam igitur, nulla fudi quae carmina cura,
  Haec tibi sponte mea qualiacunque lego?
Quod te ad censuram ingenio quam scilicet acri,
  Ingenio ad veniam tam facili experior.

XCIV.

De vero Conjugis erga Lydan amore.

Vix unquam dictis, factis testatur amorem
Perpetuo at multis vir tibi, Lyda, tuus.
Res ubi tam crebra, tam clara voce loquuntur,
Verborum cassis nil opus officiis.
Queis ut coeperunt se vafrae involvere fraudes,
Uti verus Amor jam prope dedidicit.

XCV.

Ad Lydam.

Tam procul a populo quae vivis, Lyda, probari
Omni mirifice qui potis es populo?
Nempe tegi virtus cum summa est nescit, et ipsis
Luce sua interdum fulgurat e latebris.
Nube velut latitans multa Sol, discutit umbras
Saepe tamen, claris noscitur et radiis.

XCVI.

Testatur posteris quantum Quinto debeat.

Quinte, tibi obstrictus quam sim, nec tu tibi dici
Vis, ego et invito dicere jam metuo.
Attamen (extincto sic me, mea carmina vivant)
Dixi venturis omnia temporibus.
Omnia jam servat, cunctis late omnia quondam,
Dicere quae metuo, charta loquetur anus.

XCVII.

Contra furiosum Pontici amorem.

Quo te flexit Amor non is; ruis. haud ego amare
Te veto more hominum, Pontice, sed pecudum.
Infraenet mentem ratio, ne coeca furore
Proterat insano jusque piumque pede.
Haec iterum atque iterum clamavi. quo malus urget
Impetus in praeceps non minus ille ruit.

XCVIII.

Ad Quintum meretriciis amoribus implicatum.

Vidi ego te magni supremo in fine barathri
Gaudentem Idalios ducere, Quinte, choros.
Clamavi et: serva, serva. ingens, Quinte, periclum est.
Lubricus innumeros perdidit iste locus.
Clamavi frustra. risisti vera monentem,
Risus at heu seras desiit in lacrimas.
Quod circum fatue ludebas namque, barathro
(Nec spes ulla fugae) volveris in medio.

XCIX.

De Lacone dedititio.

Vendere captivum ne dic te, praeco, Laconem.
Quum bello est captus, desiit esse Lacon.
Magnanimi pulchra jacuerunt morte Lacones,
Colla nec hostili supposuere jugo.

C.

De Messala pessimos versus recitaturo.

Sexcentos heu! heu! versus Messala paravit,
Horrendum nostris auribus exitium.
Quis tantam avertat cladem deus? arte, sodales,
Vitari hoc tantum qua pote supplicium?
Nil opis heu! video. promit jam dira venena,
Jam misere miseros perditus excruciat.
Hoc tu, Lyda, feres? sic nos, Lyda optima, plectat
Ille tuae immeritos tu patiere domi?

CI.

De Carthagine eversa.

Strata solo jacuit Carthago. Romula pubes,
Plora. virtuti cos erat illa tuae.

CII.

Fausta apprecatur Leuconi discessuro.

Dum bonus externas hinc Leucon cedit in oras,
Fausta precer vates me, mea Lyda, rogas.
Quid precer hoc melius? cum cesserit, illius et tu
Sis longum, et longum sit memor ille tui.
Temporis et spatium quodvis, spatiumque locorum
Vestrae nil unquam demat amicitiae.
Auguror; eveniet: casus rerum haud timet ullos
Sanctus, quem virtus mutua junxit, amor.

CIII.

Ad Violantam
quum ad moniales transiret.

Digrederis, Violanta, domo: te flet domus omnis,
Quaeque tuam celebrat candida turba domum.
Nec vocem, qua nil auri est jucundius, optant;
Nec formam, qua nil pulchrius est oculis.
Optant, queis menti pote nil acceptius esse,
Mores (heu durum discidium!) aureolos.

CIV.

Ad Aulum
semper docere cupientem.

Usque doces tu me: fer te hoc semel, Aule, doceri:
Odi ego me invitum qui tamen usque docet.

CV.

In garrulum ad Gelliam.

Ille loquax, picas ante omnes garrulus ille,
Uni jam garrit, Gellia pulchra, tibi;
Jamque sibi totam victor te vindicat. omnes,
Quot sumus hic, soli, Gellia, deserimur.
Unum audis, uni respondes. cetera turba
Expers esse tui cogimur alloquii.
Non placet hac mercede aures requiescere nostras;
Quidquid vult, nobis garriat ille iterum.

CVI.

Ad Janum Romam redeuntem Poeta suo ac sodalium nomine.

Jane, tua huc prae te quae venit epistola, miro
Incendit nostrum pectus amore tui;
Nec quisquam est, reducem Tiberina ad flumina toto
Amplecti quin te gestiat ex animo.
Crede mihi, propera; nec differ gaudia nobis,
Gaudia nec differ, dulcis amice, tibi.
Laetior haud ulla est, quam quae lux rursus amicos
Post longum jungit candida discidium.

CVII.

Ad Lydae conjugem latine vertentem Torquati Tassi poema.

Miror ego et laudo pol te, Lydae bone conjux,
Torquati musam quod tua musa refert.
Sed miror laudoque magis, quod pangere tantus
Vates tam raro carmina dia soles;
Magnus quod scribis, major quod scribere non vis,
Et famam, vatum praemia sola, fugis.
Macte o digne tua vir conjuge: fulgere nata
Luce omni, lucem sic premit illa suam.

CVIII.

Ad Gallum veterum sepulcrorum epigraphas nimium admirantem.

Laudas mi priscos lapides, miraris et altis
Inscriptum si quid prodiit e tenebris.
Carminibus nihil est salsum magis atque venustum,
Quae fossor nigris eruit a tumulis.
Lecta mihi quae, Galle, placent hoc scilicet uno,
Carmina quod faciunt mi mea uti placeant;
Antiquis et me toties postponere suetus,
Interdum antiquis ut tamen anteferam.

CIX.

Quantum Roma debeat D. Petro Apostolorum Principi.

Quantum, Roma, Petro debes! quo sub duce majus
Atque tibi melius contigit imperium;
Et parta est ingens, manifesto numine, quanta
Sub priscis nunquam gloria consulibus.
Olim vastatrix regnorum, foeda cruore,
Triste ferens victis gentibus exitium,
Nunc orbis caput es vere, cum diditur omnes
Munere per populos vita salusque tuo.

CX.

Certamen cum Corvino
in Lyda laudanda.

Laudo ego te, laudat Corvinus, Lyda; nec alter
  Tantillum laudi cedimus alterius.
Diceris ambobus prae cunctis una puellis
  Doctrina, ingenio, moribus egregia.
Hoc tantum distat nos inter: quae tibi semper
  Soli ego, saepe aliis atque aliis tribuit
Largiter ille; solet nullam et laudare puellam,
  Quin dicat de te dicere quae solitus.

CXI.

In Leuconis tabulam exhibentem Virginem M.
sideribus receptam.

Quo fugis ah! spes una aegris mortalibus? istaec
  Invida quo nostris te rapit ex oculis
Ablatam longe nubes, regina? tua sic
  Vera velut cernens in tabula extimui,
O Leucon mirande; poli dum celsa petentem
  Regna Dei Matrem scilicet adspicio;
Nec secus ac fieret si tum res ipsa, relictis
  Ereptum terris praesidium indolui.

CXII.

Ad Glauciam ob genus divitiasque superbientem.

Esse putas nihili, cui nec genus aequa, nec amplas,
  Ut tibi, fors tribuit, Glaucia, divitias.
Crede mihi, nihili est, hominum quo res manet omnis
  Publica vel vivo vel pereunte eadem.
Haec multos procerum, multos haec formula regum,
  Haec te comprendit formula praecipue.

CXIII.

Ad Quintum quaerentem quid prosit Lydae tam multa legisse.

Quinte, rogas, Lydae quid prosint plurima lecta?
  Plurima, quae nescis vir, sciat ut mulier;
Oraclis nec, vana soles quae fundere, credat;
  Marte suo verum sed sibi dispiciat.
Haec tam magna legens cepit, quae, commoda, quid ni
  Plurima, quae legit, legerit utiliter?

HENDECASYLLABORUM

LIBELLUS.

I.

In epigrammata Anthologiae
a se latine conversa.

Siquis Cecropios amat lepores,
Nec Grajae numeros fugit Camoenae,
Huic opto admoveat manum libello.
Qui nec Cecropios amat lepores,
Et Grajae numeros fugit Camoenae,
Hoc, oro, abstineat manum libello.
Nam si legerit haec uterque, fiet
Ut quae lecta bonus probavit alter,
Alter excipiat malus cachinno.
Qui si forte meas tamen cachinnus
Aures attigerit, nihil movebor;
Nec spero, aut studeo placere cunctis.
Non cunctis placet ipse Jupiter, seu
Clari vi Boreae polum serenet,
Seu nubem et madidos reducat Austros.

II.

Ad Ignatium Boncompagnium.

O flos Romuleae decusque pubis,
Ignati optime, si mei sodalis
Hunc meumque tibi dicem libellum
Sic ut esse vides brevem ac pusillum;
Cultor ne officii bonus videbor,
An contra male nescius quid istaec
Postulet tua dignitas, tuaeque
Fortunae ac generis tui amplitudo?
Hic me, cum volui levem hanc opellam
Dedicare tibi, metus retentat
Angitque, ac dubium labare cogit
Jam gravis nimium atque permolestus.
Quem si tu mihi detrahis timorem,
Nec re tam tenui coli gravaris,
Nil sit quin lepidi mei sodalis
Hunc, meumque tibi dicem libellum
Sic ut esse vides brevem ac pusillum.
Nam claro in juvenum choro potentum
Nemo est, cui melius libentiusque
Hercle quam tibi dedicare possem,
Qui (mitto proavos, avos, parentes,
Virtutem, ingenium, eruditionem,
Istam nempe gravem reconditamque,
Pergis quam tibi comparare pulchro
Instans noctem operi, diemque totum),
Id quod non minimi puto aestimandum,

Et quo nunc opus est mihi vel uno,
Scis graece optime, et optime latine,
Umbra ut non modo nominis libellum
Ingenti exiguum probe tueri,
Verum et perlegere, et sagaci ocello,
Boni si quid inest, videre possis,
Boni: nam quod inest mali videre,
Credo, non sinet ista singularis,
Nobis qua cupide faves, voluntas.
Quare si mihi detrahis timorem,
Nec re tam tenui coli gravaris,
En tibi ex animo dico libellum
Hunc, meumque simul, mei et sodalis,
Sic ut esse vides brevem ac pusillum.

III.

Ad juvenes rusticantes.

Quid rerum geritis boni parente
Cum bonó juvenes? subitne cura
Interdum memores domi relictae
Matris, percupida procul morantes
Quae vos mente vocat, diemque totum
Praesentes veluti videtque semper,
Auditque, in medio et, reor, sopore
Per noctem alloquitur? subitne cura
Et dulcis patrui, tot et bonorum,
Qui vestros celebrant lares amici,
Vosque optant reduces, suo et queruntur

A coetu geminos abesse ocellos?
Salvete, atque hilares, beata rura,
Fontes, perspicuos lacus, virentes
Silvarum latebras, amoena prata
Lustrate; et variis modis volucrum,
Pastorum et calamis, lepore et omni
Expleti; atque loci salubritate,
Aurae et frigidulae refecti ab haustu,
Festini huc celerem referte gressum,
Neve a matre diu, diuque nostro
A coetu gemini abeste ocelli.

IV.

Ad Josephum Pagninium.

Pagnini, pater elegantiarum,
Cui Musae triplicem parant coronam,
Condis quod triplici, diserte, lingua
Versus ambrosia mera madentes,
Dignos hoc lepido nitere cultu,
Dignos hoc niveo legi in papyro,
Quas grates referam tibi, beasti
Quod me hoc aureolo tuo libello?
Has certe; aureolum tuum libellum
Ut versem cupida manu, tuoque
Incendar studio magis magisque,
Abdam et te penitis meis medullis,
Pagnini, pater elegantiarum.

V.

Ad Nomenium.

O doctissimus omnium Poeta
Quotquot sunt, fuerunt, erunt, Nomeni,
Hos civis tuus, et tuus sodalis
Mitto versiculos tibi legendos,
Judex ut sapiens, gravis, severus
Tandem constituas, fruine luce
Sint, an nocte premi tenebricosa
Digni perpetuo mei labores.
Nam mi nocte premi tenebricosa,
Luce digni aliis videntur alma.
Hanc litem dirimas volo; verendum
Nec est, ne graviter feram et moleste
Quidquid ipse tibi placere dicas.
Namque cur doleam videns te, amice,
Meum aut judicium, aut probasse carmen?

VI.

De sacratissimo Corde Jesu.

Pulchrum Cor Domini, videsne, ut intus
Extraque ardeat aestuante flamma?
Pulchrum Cor Domini, videsne, ut alte
Mucrone lacerum fero patescat?
O gens dura hominum, et mala impiorum!
Sic te nempe Deus cupitque amatque,
Sic tu illum male vulneras amantem?

VII.

De festo Ss. Cordis Jesu.

Amor, deliciae, suavitates,
Et quaecumque animos beat voluptas,
Ex hoc usque fluunt, Nigelle, Corde.
Hinc haurire meros licet volenti
Succos ambrosiae, merumque nectar.
Hinc lucis radii micant serenae,
Mentis quae valeat tenebricosae
Atram continuo fugare noctem.
Hinc se flammeus aestuante fundit
Ardor ille globo, beatus ille
Ardor, qui penitus, roga, ut medullas
Contingat tibi jam potente flamma.
Nam si contigerit, statim per imum
Ibunt fusa sinum, simulque gliscent
Amor, deliciae, suavitates,
Et quaecunque animos beat voluptas.

VIII.

Idem argumentum.

Sunt sunt queis male displicet beati
Cordis eximius statusque cultus.
Quid tum? idem Superis placet, Deoque.
Caelestine, tuus potens patronus
Tete quo Lodoix die, propinqua
Morte, frigidulum toro jacentem,

Visitque ac subito valere jussit,
Dic, dic, alloquio tibi in supremo
Quae mandata tuus dedit patronus.
Clare scilicet atque perdiserte,
Vitam se tibi reddidisse, dixit,
Ut omnem huc operam dares, colatur
Late omni ut studio magis magisque
Cor hoc perpetuo colendum, amandum.
Haec tu dicta tibi tacere noli;
Sed fac omnibus usque et usque in oris
Clare, quam pote maxime, audiantur,
Ut, queis nunc male displicet beati
Cordis eximius, statusque cultus,
Sciant quam superis placet, Deoque.

IX.

Ob Myreum supremum Arcadiae Custodem ab Asello contumeliose protritum.

Heu quis te miserum, quis immerentem
Afflixitque solo, diuque lecto
Affixum tenuit, Myree, casus?
Illi flagra cutem secent Asello,
Qui senem lepidum, probum, disertum
Vesano prope funeravit ictu,
Et nobis lacrymas tulit, metumque.
Sed fletus tamen, o boni, gravemque
Mittamus querimoniam, sodales.
Nostra haec regna iterum tenet Myreus,

Pastorumque hilarem regit catervam.
Cui Pan, et faciles dedere Nymphae
Late per juga Moenali virentis,
Per et Parrhasium nemus vagari.
Ergo sit misero modus dolori.
Hoc agi potius decet, videre hoc,
Ut ne impune scelus ferant Aselli,
Sanctos qui male proterunt poetas.
Figamus solido sacram hanc in aere
Legem. Parrhasium nemus, paratum
A Dîs hospitium bonis poetis,
Nulli (quamlibet usque et usque blandus
Oret, flagitet, obsecretque), nulli,
Nulli umquam liceat subire Asello.

X.

De carmine italico inscripto
Il Mattino.

Risi pol procerem negotiosum
Ipso in otiolo, nihilque agentem
Non dignum joco et omnibus cachinnis,
Dum se mane novo, novus requirit
Ut mos, ad speculum comit; deinde
Vestit, atque onerat laboriose
Tot gerris miserum, merisque nugis;
Tum vultu patriam beans nitente
It curru in rapido supinus, atque
Obstantem bijugis terit popellum.

Risi: dein timui (solent amico
Ut qui sunt animo timere multa
Incassum) timui tibi, tuaeque
Laudi, Balthasar: optime institutum
Hic mos ne abripiat novus malusque,
Hoc te ne inficiat, miselle, saeclum
Plenum stultitiae atque ineptiarum.

XI.

Ad Ignatium Boncompagnium.

Ignati, hunc tenuem tibi libellum
Mittit ille tuus malus poeta,
Sed cultor bonus, et cliens fidelis,
Longe hinc Felsineis morantem in oris
Qui te cogitat usque et usque, amatque,
Quamvis litterulis tibi molestus
Nolit esse, sui vocans doloris
In partem, et lacrymis genas rigare
Cogens, quem cupit omnibus manere
Plenum laetitiis, fruentem et omni
Vitae perpetua beatitate.
At si dent Superi boni, ut procellae
Ponant, et facili feratur aura,
Partem laetitiae dabit fruendam,
Mittens litterulas, eritque rebus
(Dulci ne gravis accidat patrono)
Adversis tacitus, loquax secundis.

XII.

Ad Cardinalem Albanum.

Albane, eximium decus Quiritum,
Lumen purpurei Patrum Senatus,
Praestante ingenio, diserto et ore
Potens quamlibet expedire caussam,
Quamvis difficilem, per et molestam;
Gratias tibi jure agunt habentque
Jesum qui ex animo colunt amantque:
Quod tuo ingenio, tuo et labore
Factum est, ut liceat, diu negatum,
Rite jam liceat, probante Roma,
Sacrum Cor precibus statis, statisque
Laudum carminibus coli quotannis.
Quae dum carmina concinent, precesque
Aut secum recolent pius Sacerdos
Et virgo in niveis pudica vittis,
Qua solis patet ultimum ad cubile
Tellus Memnonio frequens ab ortu
Omnis te astra super feret, tuumque
Omnis promeritum loquetur aetas.

XIII.

In poetam ineptum.

Huc huc ocyus advolate, adeste
Orphei saxa lyram secuta quondam.
Quid statis? Lycabae lyram citato

Motu nunc decet insequi, sonore
Quae nos usque malo enecat misellos.
Quam nec sibila, nec queunt cachinni,
Nec vocum fremitus male obstrepentum
Pulsam Parrhasiis fugare sylvis.
At cuncta (ocyus impetu citato)
Quotquot estis io! venite, adeste,
Ite, currite, convolate saxa.
In lyram, in digitos mali poetae,
Confestim incidite impotente nimbo,
Ut vineta super gravi ruina
Densae grandinis ingruit procella,
Et sternit gravidos humi racemos.
Heu, heu vota nihil valent, precesque.
Ipsa, credo equidem, mali poetae
Lyram permetuunt adire saxa,
Suo et pulsa loco fugam capessunt.

XIV.

Ad Poetam indiligentem.

Carmen scribere te, Aule, lusitantem
Dicis, quod Sophiae, quod et Mathesi
Noctesque attribuis vigil diesque.
Scire quid Sophiae, quid et Mathesi
Curarum tribuas nihil laboro.
Hoc de carmine credo, lusitantem
Pol te scribere, quin et oscitantem,
Dormitantem etiam, atque dormientem.

XV.

Ad Ignatium Boncompagnium.

O spes Romuleae decusque gentis,
Ignati optime, quod tibi parari
Tinctam Sidonio colore laenam
Videt Cunichides tuus, profecto
Gaudetque ex animo, Deoque grates,
Ut par est, agit oppido haud pusillas.
Sed gaudet magis, exsilit, triumphat,
Quod summi, medii peraeque et imi
Dicunt ex merito tibi parari
Propter perpetuos tuos labores,
Rem gestam et bene publicam, paludes
Popli et Felsinei bono imminutas,
Dicunt ex merito tibi parari
Tinctam Sidonio colore laenam,

XVI.

Ad eundem.

Ignati, celeri dies beati
Jam fugere gradu, domum est necesse
Ad septem geminos redire colles,
Linqui Parthenopen, sororculamque,
Et prolem lepidam, et virum sororis.
Numnam, stoice, dic amabo, numnam
Chrysippi haud memor, et tui Catonis,
Aegrescis misero dolore pectus,

Atque udos lacrymis rubes ocellos?
Atqui ne cruciare. Habes paratum
Isti pulchra quod occinas dolori:
Reviso at patriam et meos parentes,
At fratrem atque aliam meam sororem,
At meos veteres bonosque, me qui
Colunt, inque oculis ferunt, amicos.
Haec si mente putes, tibique dicas,
Mitescet dolor impotens; adibis
Vultu qui deceat tuum Catonem.

XVII.

Contra vatem obscoenum.

Jam nunc Arcadicae valete silvae,
Lacusque et liquidi valete fontes.
Heu heu Parrhasium nemus profanat
Vates spurcidicus, merumque coenum.
Nec jactare pudet male ac licenter
Jocos auriculis graves pudicis.
His mihi stomachus jocis movetur,
Aestuat jecur impotente bile,
Et pedes male gestiunt abire.
Balatus ovium queo molestos,
Et boum queo perpeti querelas,
Asellos etiam pati rudentes,
Grunnitum suis odi abominorque,
Auditoque statim fugam capesso.

XVIII.

Ad Abundium Rezonicum.

Nomen ab senio tulit Senator.
Nec magis juvenis videtur aptus
Senator fieri, senex in arma
Quam trudi, ac varios feri labores
Martis. Consilio caret juventa,
Senecta ut validis caret lacertis.
Hoc sciunt, reor, ac fatentur omnes;
Laetantur tamen, et probant, Abundi,
Tui quod patrui benignitate
Es datus cupidae Senator Urbi.
Nam te annis juvenem vident, eumdem
Prudenti ast animo senem esse norunt.

XIX.

Ad Sodales suos.

Gaudete ex animo, boni sodales,
Amor Castalidum, Somalli uterque,
Serassi pater elegantiarum,
Monti candide, rhetorum Varine
Decus, fide mihi comes Zamagna.
In nubes abiit levesque ventos
Urbem ad Parthenopes iter paratum
Longum illud juveni, suavitatem
Propter ingenii, aureosque mores,
Et multa madidum eruditione

Pectus, atque alias tot attributas
Dotes munifica manu Deorum,
Unum, quem colere atque amare cuncti
Certamus; lepido disertus ore
Qui nos saepe hilarat, tenet beatque,
Illud, inquam, abiit leves in auras
Fumosque in tenues iter molestum
Vobis atque mihi, boni sodales.
Hic hic deliciae decusque nostrum,
Balthassar manet, ac diu manebit;
Nosque, ut assolet, usque et usque comis
Omnique excipiet benignitate,
Suoque ingenuo lepore, dictis,
Fabellis, salibus, jocis beabit.
Hoc quibus bona sors bonique divi
Praeter spem subito dedere, mecum
Gaudete ex animo, boni sodales.

XX.

Contra garrulum.

Multa quod loqueris, Nepotiane,
Praestans eloquio tibi videris:
Verum deciperis male atque inepte.
Non est eloquium micare lingua,
Et sensu vacua sonare voce;
Sed, multa madidum eruditione,
Quod res postulat ac locus, profari
Sermone ingenuo, gravi, decoro,

Et servare modum, et tacere multa,
Cumque opus, sibi temperare posse.
Quod te posse negant tui sodales,
Queis aures miseris dolent caputque.

XXI.

In malum poetam sua carmina occultantem.

Quod quae scribit Acron tenebricosa
Cautus nocte premit, sapit profecto.
Multo at plus saperet, reor, Neralce,
Si nec scriberet irrito labore
Digna nocte premi tenebricosa.

XXII.

Ad scriptorem ineptum.

Ornas quem variis librum figuris,
Spectari magis, Aule, quam legi vis.
Sexcentis oneras tuum figuris
Librum: cuncta nitent venusta, bella,
Pictorum vario decora cultu.
Sapis: quo miserum scatet poema,
Pulchre his sub phaleris latebit ulcus.

Finis.

(*) *Vetus Martyris epitaphium*

ACAPENIBENEMERENTIQVAE VIXIT AN·NOS PLVS MINVS

XXVI ☧ O ☧ FECITCVM MARIIO ANN–IIII DPOSITA

IN PACE XVII KALS EP.T☧ FL☧ STILICONEVCCONSS

STEPH · ANTONII MORCELLI

AGAPEA

MIXAHΛEIA

ET

TESSERAE PASCHALES

BONONIAE

EX OFFICINA NOBILIANA

A. M · DCCC · XXII

PERMISSU PRAESIDUM

LEGENTI

PROSPERA · OMNIA

ALOISIO AMÁT
ANTISTITI URBANO
PROLEGATO PROVINCIAE BONONIENSIS

ANNESIUS NOBILIUS

TYPOGRAPHUS

Quum constituerim, Antistes amplissime, Steph. Antonii Morcelli Agapea, Michaëlia, et Tesseras Paschales meis typis excudere, consilium quoque cepi illa Tibi offerendi, ut singularis meae erga Te observantiae testimonium

aliquod publice exstaret. Atque ut de eo cogitarem, fecerunt in primis et auctoris, cujus opera sum editurus, celebritas, et opera ipsa per se elegantiae, ut Morcelli omnia, suavitatisque plenissima, et digna profecto, quibus a tui nominis dignitate splendor accedat. Haec verò si, quae tua est benignitas, libenti animo exceperis, consilium hoc meum et litteratis hominibus haud improbatum iri confido, quorum potissimum postulationibus ferme impulsus, haec eadem evulgare decrevi. Quod ut mihi concedas tanto studio abs te peto, ut majori non possim. Vale.

AGAPEA

SIVE

DIES FESTI

AGAPES MARTYRIS

APVD CLARENSES.

ANTISTITI RELIGIOSISSIMO

GABRIO MARIAE NAVAE

PONTIFICI

MAGNAE ECCLESIAE BRIXIANAE

PAULLUS BEDOSCHUS

CURIO CANONICUS

Quae in lucem edimus Agapea, tuo dicata sunt nomini, tuae oblata dignitati; tantillus quidem liber est, sed multis non exiguis pretiosior videri possit. Hunc Morcellus cultor omnigenae eruditionis, et latini pater eloquii, quem tu merito

plurimi facis, libens exaravit, meumque esse humanissime voluit. Is ubi in jus meum devenit, statim honori, et meritis tuis dicandum non dubitavi. In hoc Agapes Martyris Patronae nostrae monumenta quaedam, atque quanto etiam ipsa a Clarensibus in pretio ob beneficentiam ejus habeatur, facile cognosces. Ceterum quia impar ego commemorandis virtutibus, quae animum tuum exornant, munusculum hoc tantummodo tibi habeto quasi pignus obsequii mei, quod utique perpetuum fore spondeo.

AVE · AGAPE · MARTYR · ☧

SALVS · POPVLI · CLARENSIS

Tibi quidquid hoc libelli est et qualecumque, Tibi, inquam, clientium tuorum nomine, Patrona optima, dicatum volo, qui prior illustrem hospitam domi habui: eo autem consilio, uti sit monumentum indulgentiae erga nos tuae, et amoris erga te nostri, quam pio utique studio concordes et colimus et colemus, extare enim memoriam par erat, qua voluntatis tuae significatione ad nos ipsa advenisses, ante propitia quam incola, ante fautrix quam civis. nec minus intererat, manare ad posteros, quo te primum honore susceperimus, et qua jam te reverentia observemus. utraque nimirum ad dignitatem tuam pertinent, ut norint omnes, quanta ipsa sis, et quanto in pretio habearis.

Tu vero perge, ut coepisti, indigentibus opem ferre, solari afflictos, subvenire aegris, mortem depellere, emendare mores, fovere concordiam, amplificare patriam, pudorem civium et sanctimoniam augere, de omnibus denique libenter, ut soles, benemereri. nos te, quantum fas erit, omnibus officiis prosequemur, atque in oculis ferentes per-

petua caritate celebrabimus: reddituri gratias quam maximas, quando nos religionis pietate defunctos et omnibus laetitiis laetos ad Caelestium concilium coetumque deduces.

Exigua haec parvi quamquam sunt dona libelli,
Magna Agape, atque impar copia promeritis;
Quae tamen hic fatur de te benefacta, nepotem
Vsque unus doceat cuncta alium atque alium.

AGAPEA

SIVE

DIES FESTI

AGAPES MARTYRIS

APVD CLARENSES

PROOEMIVM

Quae Mabillonius olim, vir pietate idem et eruditione magnus, alieno primum nomine, deinde suo vulgavit, ut religiosum quemdam cultum notaret reprehenderetque, quo interdum ignoti Martyres prae insignibus clarissimisque honorarentur, (1) ea, opinor, contra nos valere non debent, qui Agapen nostram non uno titulo illustrem et vetustatis testimoniis ac celebritate famae commendatam ad nos pervenisse gloriemur. primum enim sacrum ejus Corpus, quod Pii VI · Pont · max · immortale munus fuit, sic Roma accepimus, ut nomen quoque ipsius cum integra tumuli Inscriptione teneamus, ex eaque tempus ac diem mortis ejus ac vitae item et matrimonii ejus annos didicerimus. (2) deinde hoc quoque compertum habemus, tunc sepulcro Martyris phialam sanguinis ejus appositam esse, quum Anastasius Pont.

---

(1) *V. Dissert. Mabill. ad ven. p. 557.*

(2) *V. Comm. in Epitaph. S. M. Agapes.*

max. tranquillis jam rebus Ecclesiae praeerat, et sacrum Callisti Coemeterium in honore habebatur. (3) favent praeterea quae accessere miracula, ab ipso die coepta, quo Romae in aede Mariana ad forum Trajani Corpus Martyris expositum est confluentibus ad visendum Quiritibus, et quae apud nos quoque iterata constat. (4)

Quantum vero ad Martyris dignitatem et gloriam valere debet, quod demum a Pio VII. Pont. max. Ecclesiae nostrae datum sit, ut bis quotannis honori Martyris sacri faciendi jus esset? (5) unde populo huic nostro et patrocinii caelestis spes adfulsit major, et colendae Martyris studium adcrevit. quod si factum etiam vidimus, ut nomen ejus infantibus parentes libentissime imponerent, quemadmodum apud Sarmatas contigisse accepimus, (6) postquam ad eos Corpus Floriani Martyris delatum esset, eo nostri religiosius usurpare potuerunt, non modo quod nomen idem aliis quoque Martyribus commune fuit, (7) sed etiam, quod Christianam caritatem designet, quam saepe Paullus Apostolus in ore habuit: quod quidem nomen in recto casu *Agape*, in obliquo *Agapes* fuit; quamquam sequiori aevo *Agapes* usurpatum invenies in recto, in obliquo autem *Agapenis* aut *Agapetis*, unde *Agapetilla* est, uti leges apud Marangonium: (8)

---

(3) *V.* l'Omel. detta nella Traslaz. p. 11. 12.

(4) *V. quae infra narrantur.*

(5) *ex Rescripto anni* M · DCCC ·

(6) *V. Baron. an.* 1184. *in fine*,

(7) *V. Martyrol. Florentini etc.*

(8) *in opere* delle cose gentilesche ec. p. 315. *et Lupium in Epit. Severae M. p.* 157.

AVR · AGAPETILLA
ANCILLA · DEI · QVE
DORMIT · IN · PACE
VIXIT · ANNIS · XXI
MENSES · III · DIES · IIII ·
PATER · FECIT

at nos *Agapen* veteri more vocitamus, Grammaticos sequuti, non plebem Latinam, quae litteris senescentibus multa hujusmodi nomina vitiavit atque corrupit. (9)

Iam vero his animadversis, nemo jure miretur, si Nolanum Paullinum imitati, qui Felicem illum suum ob cruciatus jampridem pro Christo toleratos Martyribus adnumeratum, non solum molitione operum et cultu eximio, sed annuis etiam laudibus carminibusque exornavit, Agapen ipsi nostram studio aliquo et commemoratione prosequamur. atque illud etiam facile ab omnibus concedetur, ut qui de ejus festis diebus acturi simus, quos hic quotannis celebramus, historiam antea receptae Martyris delibemus, unde prima ejus sollemnia apud nos exordium duxerunt.

Vetus Hypogeum Basilicae nostrae satis magnum et amplum, quod Majores neglexerant, impedimentis demum rejectis et squalore deterso, jam ab anno M · DCC · LXXXXII · religioni et pietati civium patebat, V · idus Novembres rite expiatum, quemadmodum Inscriptio declarat, quae imminet Australi portae:

---

(9) *V. Lupium ibidem.*

DEO · IESV · SERVATORI · GENERIS · HVMANI
CLARENSES
SIGNO · EIVS · EX · AEDE · MARIANA · TRANSLATO
HYPOGEVM · NOVO · CVLTV · EXORNATVM
V · IDVS · NOV · ANNO · M · DCC · LXXXXII ·
DEDICAVERVNT

ibidem vero quum altare exstrueretur, Praepositus Ecclesiae nostrae de sacro corpore Martyris alicujus ab urbe impetrando primitus cogitarat, ejusque rei caussa aptum sub altari locum arcae recipiendae parandum curaverat, magno operis totius adjutore Francisco Andreio Canonico, quem et Hypogeo praefecerat, viro excellentis ingenii consiliique, cui maxime tribuendum est, quidquid in hoc sacrario ab ipso initio comptum perfectumque probatur. (10)

Exinde autem Praepositus litteris Romam ad amicos duos missis rogare eos atque obsecrare coepit, ut alter, (11) quem Pio VI· P· M· acceptum norat, donum ab eo pulcherrimum, Martyris nempe Corpus postularet impetraretque: alter vero, (12) si res bene succederet, ipsum Corpus a

---

(10) *Amisimus virum hunc pientissimum et de patria optime meritum* VIIII · *Kal* · *Octobres an* · M · DCCC · V · *cujus loco succrescit Andreas fratris ejus filius, exemplo idem et doctrina ac laboribus Ecclesiae nostrae jamdiu perutilis.*

(11) *is fuit Vincentius Bolgenus, Theologus aetatis suae praestantissimus, a consiliis V. E. Praefecti criminibus expiandis, scriptorque operum plurimorum.*

(12) *is vero Philippus est Salvatorius Theologus idem et*

probo artifice, ut mos est, pro dignitate vestiri juberet, idque ad nos in designata arca rite clausum transmitteret. rem uterque gessit egregie; nam et Pontifex maximus, qua erat humanitate, benigne supplicanti obsequutus, quod unum tunc in sacrario ejus servabatur Martyris Corpus, id est Agapes, nobis donari jussit: et arca illico affabre constructa, sacrumque in ea Corpus compositum est, praeclaro matronae ornatu indutum, quale nunc sub altari spectamus. itaque beneficii, quod Pius nobis non modo impertivit, sed aliis etiam beneficiis cumulavit, memoriam in Hypogeo consecrari posterisque relinqui oportebat, quam non procul ab altari ad laevam leges:

V · EID · SEPT · AN · M · DCC · LXXXXV ·
INDVLGENTIA · PII · VI · PONT · MAX ·
CVIVS · AVCTORITATE
SANCTVM · MARTYRIS · CORPVS · OBVENERAT
DATVM · QVOQVE · CLARENSIBVS
ADTRIBVTVMQVE · EST
VTI · XVII · KAL · SEPT · QVO · DIE · AGAPE · BEATISSIMA
POST · AGONEM · SVVM · ROMAE · QVIEVIT
SOLLEMNIA · QVOTANNIS
HONORI · EIVS · RITE · INSTAVRENTVR
VTIQVE · EODEM · DIE · QVOTQVOT · POENITENTIA · EXPIATI
SEPVLCRVM · CAELESTIS · PATRONAE · ADIERINT
ET · SANCTA · DE · ALTARI · LIBARINT
ADMISSORVM · POENA · OMNI · POST · SVPPLICATIONEM
ABSOLVTI · DISCEDANT

Historicus egregius, qui nunc in Sicilia inter veteres sodales degit. porro ambo ad Societatem Jesu pertinent.

At quae modo commemoravimus, diligenter peractis, Episcopus Porphyriensium, qui tunc a sacris erat Domus Pontificalis, omnia ex auctoritate recognovit, atque exempto sanctae Agapes Dente, quem separatim in thecam argenteam inclusit ad eorum solatium, qui hic supplicantes exosculari vellent, omnia item anulo suo obsignavit, litterisque publicis testatus est, tantum illum thesaurum ex Callisti Coemeterio prodiisse, atque ad nos esse transmissum. nec multo post arca cum lapide sepulcrali in capsam ingentem conclusa est, essedumque inventum, quo ad nos longo per Apenninum itinere, ac deinde ab Ancone per mare usque ad Padi ostia, demum per Padum ipsum Ferraria tenus deveheretur. inde secum Navicularii Pontevicenses per Ollium traducere debebant: qui tamen recusarunt, veriti nimirum, ne sacra illa arca, quam Roma integram intactamque adlatam eo usque videbant, incuria ipsorum aut periculo aliquo detrimentum faceret.

Ergo hinc Andreius Canonicus Ferrariam ipsam sibi cum delectis viris properandum existimavit, ut venerabile illud divinae liberalitatis pignus, tamdiu ab omnibus exoptatum, ad nos quamprimum ipse perferret. pridie nonas Ianuar. anni M · DCC · LXXXXVI · profectus negotium strenue confecit, et sacro Corpore per Padum Mantuam deducto, inde nuncios misit, propediem se adfuturum. hic vero re apud omnes pervulgata, quum omnia parata essent, templumque maximum omni cultu ornatuque niteret; supplicatio statim in triduum indicta est, quae caepit XVI · Kal · Februarias. postridie sub occasum solis in via Brixiana currus apparuit sericis aulaeis insignis, quo Hospitae sanctissimae illustres exsuviae advehebantur in triumphi morem, multis hinc inde plaudentibus, et Agapen numerose inclamantibus, Agapen mo-

dulate canentibus. nam pueri in primis ad plura milliaria obviam processerant, vexillum quisque suum gestantes, ut Apagen primi salutarent. quo spectant Hendecasyllabi, quos hic juvat adscribi:

> Ite jam, pueri, obviam: Patrona
> Caelestis venit ipsa ab urbe Roma,
> Clarensisque Agape futura gentis
> Spes ingens, columenque civitatis.
> Iam vexilla, agite, obviam explicate:
> Vos primum Domina appetit videre
> Bonos, innocuos, pios, pusillos,
> Ipsa quos avet educare caelo,
> Rectis moribus et pudore dignos.
> Currum ne adspicitis novum, rubentem?
> Sancta adest Agape: invocate sanctam,
> Nulla vox sileat: venit magistra
> Virtutis, venit optima educatrix,
> Quae totam regat ut parens juventam.
> Grandaevos meminisse vos juvabit,
> Pacem quod Dominae advenae precati
> Cohors dixeritis prior salutem.

Currus autem ad aedes Praepositi constitit, qui tantam Hospitam venerabundus in domum suam recepit, et in aula locavit, arca mensae illustri imposita, supra quam infulae purpureae ab alto pendebant, et cereis ante eam accensis, qui in noctem collucerent. interea quum aera de turri reboantia populum admonuissent, civibus undique ad visendam Martyrem confluentibus patuit accessus, eoque frequentes postero quoque die semel multi atque iterum advenere.

Die eodem sub noctem Brixia adfuit Ioannes Nanius Epi-

2

scopus, quem Praepositus hospitio accepit. (13) is porro, quum jam populus expleta desiderii sui expectatione deflu-xisset, in aulam ipse quoque descendit, ut arcae signa re-cognosceret: quae ubi omnia integra et intacta deprehendit, Martyrem flexis genibus supplicans invocavit, uti populo Clarensi et sibi propitia foret. tum jejunium ut perendie esset, indixit. die autem XIIII · Kal · Ian · postquam ad vesperum Clerus omnis ad eum convenisset, ac preces idem sollemnes incohasset, arca clausa est, pompa instituta, ac per Praepositum Patresque Canonicos fulcro supposito, ad aedem Rochianam in suburbium delata est, Episcopo prosequente et populo frequentissimo comitante, quum viae jam lucernarum multitudine collucerent. illic detecta rursum arca est, et Pervigilium ita coepit in crastinum, ut hora quidem prima Vespertini psalmi Episcopo praeeunte decantati sint: tum Matutinos Clerus universus prosequutus sit. reliquum noctis spatium vigilarunt sodales Albati, et qui his successere Atrati, demum Russati, donec illucesceret, eaque aedes perpetuo cantu personavit. quarum vigiliarum memoria ibidem postea saxo consignata est:

XIIII · KAL · FEBR ·
AN · M · DCC · LXXXXVI ·
HEIC · OB · TRANSLATIONEM
BEATISSIMAE · AGAPES
PERVIGILIVM · ACTVM · EST

---

(13) *decessit vir hic summus* X · *Kal* · *Novembres an.* M · DCCC · IIII · *multis clarus virtutibus, constantia in primis, qua res adversas magno animo pertulit.*

ab aurora ingens populi multitudo undique adfluxit, quae usque ad horam Translationis supplicationem illam fecit celebratiorem. tot inter adfuit et muliercula ex agro, quae domi infantem filium coecutientem ex febri modo reliquerat. haec vero quum magnum animo dolorem coepisset, puerum ibi sanctae Martyri enixe commendavit: mox domum reversa eum incolumem reperit. itaque facti hujus caussa votum in hypogeo prostat.

MARTYRI · SANCTAE · SALVTIFERAE
AGAPE · ADVENAE
SACRVM
EX · VOTO

ZANE · PVER · QVALE · ADMISTI · NEC · BIMVLE · CRIMEN
FEBRIS · VTRVMQVE · TIBI · LVMEN · VT · ERIPERET
NIL · EGO · ET · INSONTES · NIL · PECCAVERE · PARENTES
QVAESITVM · AT · SANCTAE · SIC · DECVS · EST · AGAPE
NAMQVE · SVBVRBANA · MATER · DVM · SVPPLICAT · AEDE
ILLA · MEIS · TENEBRAS · DISPVLIT · EX · OCVLIS

Hactenus ea, quae nosse intererat, quicumque narrationem hanc nostram lecturi sint, quam de Agapeis sive de Festis sanctissimae Martyris instituturi sumus

CAPUT I.

DE FESTO TRANSLATIONIS

1. Dies XII · Kal · Febr · qui jamdiu a nobis anniversaria memoria et communi studio quotannis colitur, primum celebratus est anno M · DCC · LXXXXVI · initio ejus a vespero diei praecedentis ducto: hora enim tertia post meridiem incohata Translatio est sacri Corporis ab aede Rochiana in Basilicam: et pompa hoc ordine instituta processit. primi procerum argenteis scipionibus subnixi tanquam Designatores praeibant, qui incessum statumque moderarentur: pone quos Magistri doctrinae Christianae tradendae gradiebantur cum insignibus suis, et cereum quisque accensum praeferebat. eodem modo succedebant Sodales Russati, hosque Atrati consequebantur, Albati demum primum agmen claudebant. proximi jam sub Phonasco ibant tibicines omnis generis, quorum concentu omnium aures mulcebantur, nisi quod fragor identidem audiebatur tympanorum. magna subinde apparuit caterva puerorum, qui Caelestium habitu incedebant, specie atque ipso amictu oculos spectantium capientes. inde illa, quorumdam facete dicta,

> Num claro aligerûm cohors Olympo
> Isthaec, quae patulis refulget alis,
> Et Ostro nitet, insitaque gemma,
> Huc nisu celeri advolavit ad nos?
> Nae venere citi, Advenae libenter
> Plaudentes Agape: hospitemque gaudent
> Nobis perpetuam fore atque civem.
> Nam norunt sociam polo receptam
> Caelestes Agapen, amantque cuncti,

Ex quo sidereas adivit arces,
Parto et pulcrior adstitit triumpho.

Enimvero progressi protinus sub labaro viri religiosissimi Franciscales Patres, tum Clerus universus, Canonici nempe Mariales et Collegium Faustinianum, ingensque numerus Sacerdotum advenarum, quem Archipresbyteri etiam e vicinia quatuordecim auxere. post hos Diaconi demum se obtulere rubras induti Dalmaticas, et odoratas faces praeferentes; ministri item octo sollemnibus penulis amplissimisque spectabiles. ipsum vero sanctae Martyris Corpus inter ardentes faces sub ingenti tentorio auratisque velis insigni efferebatur, Praeposito senioribusque Canonicis succollantibus, quos sequebatur Episcopus, particulam e Reliquiis Martyris in theca argentea praegrandi portans, ministris duobus latera tegentibus. (1) postremi Magistratus erant et Decuriones, turma quoque Equitum Venetorum et plebs universa.

II. Viam autem ab aede Rochiana ad Basilicam cives incolaeque proximi certatim ornarant totam, niveisque velis protexerant; milites longo ordine utrinque spectatores cohibebant; tormentorum bellicorum tonitru ab arce audiebatur frequens, aeraque turrium pulsata undique reboabant. post horam ventum est ad Basilicam, quo maturius matronae convenerant, et longa serie bipartito perstabant, faces accensas gestantes, ut tantam Hospitem laetae susciperent, sibique et domui suae propitiam haberent. in medio autem templo stetit paullisper arca, dum vetera Martyrum Lipsana,

---

(1) *hi fuere Iosephus Bellonius Archipresbyter templi maximi Brixiani, et Angelus Faglia Comes, Abbas Pontevicensis, qui Ecclesiae nostrae perdiu Praepositus fuerat.*

quae in altari ad laevam ingredientium quiescunt, ex improviso detegerentur, et Agapen advenam quodammodo salutarent. subinde usque ad aream templi supremam ultra altare maximum sublata est, ac supra subselliarium sublimi loco proposita, ubi aedicula exstructa fuerat auro argentoque fulgens, et faces circum plurimae collucebant : quo utique spectaculo nihil jucundius populo universo esse potuit. matronae vero post supplicationem, quos secum ipsae adtulerant cereos, honori Martyris donum dedere. at post haec Episcopus, oblato de more thymiamate, vespertinos psalmos de throno suo incohavit, quos lectissimi musicorum miro concentu decantavere, populo ad occasum solis adstante.

III. Postero die, qui Feria quinta fuit, clara item tempestate, ut posses dicere, cum populi vultu diem convenisse, vix valvae templi apertae fuerant, quum frequentissima praeter municipes ex omni pago plebs adesse visa, multaque pietatis publicae indicia apparuere. in primis ad Sacerdotum tribunalia, qui non anteverterant, plerique accessere, ut labes animi rite expiarent : ceteri, dum sacra fierent, flexis genibus Deo supplicabant, nec ante quisquam discedebat, quam opem Martyris enixe implorasset, uti se suasque res caelesti patrocinio tueretur. a solis ortu adfuit Episcopus, ut ipse quoque sacrum ad altare maximum faceret. jamque Sodalitates in templum venerant sanctae Synaxeos caussa : ubi sodales ante mensas bifariam in longum productas, quantum Basilica porrigitur, summa religione procubuerant, divinum donum expectantes: quos Episcopus de ipso sacrificio omnes manu sua pavit : ministris ejus subinde singulos nomismate sacro donantibus, in quo Martyris effigies eminebat. reliqui e populo in cella Eucharistica Synaxin peregere, perpetuo ultra meridiem accessu, indulgentia enim Pii VI. datum cui-

que noverant, ut eo pacto, admissorum poena omni deleta, domum exhilarati redirent.

iiI. Interea sacrum sollemne incohatum est Episcopo adstante, magnusque musicorum concentus et fidium, tibiarum, tympanorum concors sonus populum tenuit. sed prolato Evangelio silentium factum, Praepositusque e pegmate concionem adloquutus est ea oratione, quam deinde Andreius Canonicus edendam curavit. (2) sacro demum absoluto, haud tamen templum vel a meridie supplicantibus caruit: qui Martyrem sedulo contemplantes mirifice ad pietatem excitabantur. at Episcopo sociisque in Praepositi domum ad prandium regressis, duodecim e grege egenorum oblati sunt, qui jam mensae accumbentes laute epulabantur, primoribus Procerum ministrantibus in aula ipsa, in qua Corpus Martyris requieverat: uti ne, ubi Agape fuerat, Agape Christiana deesset. (3) quam in rem epigramma conditum est hujusmodi:

Prima ubi te votis, Agape, suscepit ovantem
  Caelesti dives pignore facta Domus,
Bisseni plebe ad mensam de paupere laute
  Accepti heic hilares accubuere senes.
Quippe tuum admonuit nomen nos Hospitis, haud fas
  Posthabita hunc Agape praeteriisse diem.

Hora vero secunda post meridiem Clerus omnis praeeunte Episcopo ad psalmos vespertinos rediit in Basilicam: quos musicorum chorus multiplici varietate cecinit. sollemnibus demum precibus persolutis, Episcopus tantae celebritatis laetitiam gaudiumque praeseferens, quum Clero populoque

---

(2) *Brixiae eodem anno.*

(3) *V. Murat. in anecd. Graec. Disquis.* II. *de Agapis sublatis.*

bene precatus esset, Brixiam versus discessit, Praepositumque vice sua fungi jussit. enimvero quum jam advesperasceret, arca Martyris demissa, rursum instituta pompa est, ut ad paratam sedem sepulcrumque deduceretur. idem autem fuit pompae ordo, qui pridie fuerat, nisi quod arcam quatuor Canonici portabant, Praepositus cum ministris sequebatur. itum est a porta Basilicae dextrorsum, inde in viam latam, ac in Hypogeum tandem descensum est, ubi omnia floribus ac luminibus renidebant. quum ad altare pervenisset arca, in latus ejus sinistrum deflexa, sub ipsum denique, animis omnium interea suspensis, introducta est, et ostium clausum. quibus peractis gratiae sollemni ritu Deo actae, laetitiaeque publicae signa ex arce prodita atque turri maxima. plerique vero e populo non ante digressi, quam parvulam Martyris thecam osculati essent. ipsius porro Translationis historiam paucis designat Inscriptio ad dexteram altaris insculpta, cui et vetus Martyris epitaphium subjectum est.

XII · KAL · FEBR · AN · M · DCC · LXXXXVI
RELIQVIAE · D · N · AGAPES
QVAE · ROMA · RECEPTAE
POMPA · PRIDEM · EX · AEDE · ROCHIANA
IN · TEMPLVM · MAXIMVM · DVCTA
IOANNE · NANIO · PONTIFICE · N · PROSEQVENTE
ET · PRAEPOSITO · PATRIBVSQ · CANONICIS · SVCCOLLANTIBVS
RITE · TRANSLATAE · FVERANT
ACTIS · IN · VESPERAM · SOLLEMNIBVS · SVB · ALTARI · CONDITAE · SVNT
LAPIS · IPSE · CVM · INSCRIPTIONE
QVI · LOCVLVM · MARTYRIS · IN · HYPOGEO · CALLISTI · PROTEXERAT
MVRO · INFRA · INCLVSVS · EST (*)

v. Biduo sequenti instauratum in Hypogeo festum, multis mortalibus e vicinia convenientibus, ut opem sanctae Agapes implorarent. Sacerdotes quoque submissi, nec domestici solum, sed etiam externi, qui ea de caussa suprà Martyris sepulcrum utroque die sacrificium facerent. nec vanae preces aut irrita ea vota fuere. mutata nimirum voluntate ad bonam frugem rediere non pauci: tum, quod orator pridie sperare se dixerat, patrocinio ab Agape Civitatis nostrae suscepto, nonnulli etiam, qui transversum libidine acti, sociam tori nulla lege sibi copularant, seque legitimos conjuges simulaverant, probra sua detestati sunt, et ex auctoritate Ecclesiae nuptias sceleris societate conjunctas matrimonii dignitate sacraverunt. atque hos quidem conjuges novos cives ignoravere: sed factum versibus etiam testatum accepimus.

Quos dudum nullo conjunctos foedere turpem
  Impulerat vitam vivere coecus amor:
Adveniens Agàpe increpuit, sanctumque pudorem
  Largita, ex voto praebuit auxilium;
Nam scelere abluto venere ad sancta, deditque
  Dius Amor casto vivere conjugio.

Fausta item quaedam atque mirifica proxime accessere, quae vim Martyris favoremque portenderent. nam et alii quidam priorum exempla sequuti animos ad relligionem pietatemque revocarunt, qui antea vitiis irretiti ad interitum abripiebantur. id nempe Ode designat, quam subjicimus.

Ad nos quae pede dextero
  Sanatum virûm vulnera sontium
Advenit, bona ceu parens,
  Cives dulcisonis plaudere vocibus
Quid cessant? Agape inclita

Romana est Agape, quae potis invido
Servare abs Erebo, malas
Nil Orci metuens insidias trucis.
Ipsa est, quae populi ciet
Plorantis lacrimas, sensaque dat pia,
Queis iras bene Numinis
Vel sero sapiens molliat asperas.
Totum muneris hoc sui est,
Quod livor procul his finibus exsulat,
Infaustique cupidines,
Et quidquid Stygiis e tenebris subit:
Vel quod justitiae soror
Incorrupta fides grataque veritas
Fausto jam pede redditae
Nostras praesidio tegi amant domos.

Quid, quod Guiditiolis, ubi sacrum Agapes Corpus, quum Mantua Brixiam deferretur, nocte constiterat, litterae postea ad nos adlatae sunt, in quibus vir summus (4) Archipresbyter testabatur, ibidem nequam hominem ductorem ordinum, quum ex gravi morbo in cubiculo eodem decumberet, in quo sancta Agape locata fuerat, piissimis viris hospitibus pro eo Martyrem toto animo implorantibus, repente anteactae vitae pertaesum mutasse consilium, erroresque veteres multis cum lacrimis detestatum, poposcisse Ecclesiae pacem, nec multo post tranquilla morte animam exhalasse. qua de re haec tum scripta meminimus.

---

(4) *is est Fortun. Antonius Forestus, pietate et doctrina insignis, cujus litterae in Hypogei tabulario adservantur, scriptae anno* M · DCCC · I ·

Magna ad Clarenses Agape quum tenderet hospes,
Heic stetit, heic diae praemia liquit opis.
Namque ibi quum subita deprensus morte jaceret
Celta amens, spreta relligione ferox;
Virtutem hospitii sensit, vitamque perosus
Antiquam, sacris redditur obsequiis:
Nempe illi praesens Agape cor protinus anxit
Exorata, animum restituitque Deo.

VI. Atque haec quidem beneficia Martyris erga nos maxima et pulcherrima fuere, quamquam penitus abdita in animis singulorum, nec sub oculis posita. haec tamen multis aliis, quae aperta cuique atque perspicua acciderunt, saepe cumulavit atque auxit. primum enim aegris solatia non defuere, quicumque auxilium ejus petierunt. votum sanatae puellae legitur in Hypogeo hujusmodi.

MARTYRI · SANCTAE · SALVTIFERAE
AGAPE · INCOLAE
SACRVM
EX · VOTO
VICVS · VBI · IN · LAEVVM · DECLINAT · PROXIMVS · AVSTRVM
QVAEREBAT · MEDICAS · AEGRA · PVELLA · MANVS
ANNA · OLLI · NOMEN · MISERE · CVI · TRISTE · TVENTI
SQVALOR · VBIQVE · ADERAT · FLAVVS · VBIQVE · COLOR
IMPLORATA · AGAPE · VOTA · AVDIIT · HEICQVE · VIDENDI
REDDITA · VIS · SVBITO · EST · PARTA · SALVS · REDVCI

Votivae insuper tabellae satis declarant, quam saepe Martyr sancta poscenti opem adfuerit. id apprime ex hendecasyllabis subjectis edisces.

Exorata Agape quid alma possit,
O cives quot adestis hospitesve,

Suspensis paries vel hic tabellis
Monstrabit, titulique condocebunt.
Abjecto en modo scipione claudus
Discessit saliens: puer recepto
Risit lumine laetus. ad parentes
Mox alter scabie exilit relicta.
Hic liber capitis dolore gaudet,
Angores animi ille deposivit.
Insanos pepulit puella amores,
Vafri edocta dolum malum institoris.
At matrona virum beata frugi
Recepit, sterilisque sponsa prolem.
Qui perget precibus rogare sanctis
Haud unquam periisse vota noscet.

VII. Ecquis igitur mirari jure possit, summum jam esse Clarensium studium erga Martyrem, quae tam faustis ominibus ad nos venerit, et tanto eadem prodigiorum apparatu de omnibus benemereri non desinat? propterea ipse Translationis ejus dies festus, qui primum magnam omnibus laetitiam adtulerit, ita quotannis celebratur, ut ante eum diem per triduum, ad laudes ejus debitosque honores conveniamus, Hypogeo quaquaversum collucente, sed altari potissimum atque sepulcro, quae omni ornamento exculta resplendent. donaria etiam per eos dies prostant, de quibus carmen exaratum est, quod subjicimus.

Tres tibi pulcro, Agape, suspendimus ordine lychnos,
Quisque tibi ut triplici fulgeat igne sacer:
Qui medius splendet, partam olim sanguine palmam
Indicat, et meritum Martyris obsequium.
Alter at adventum memorat faustumque triumphum,
Advena quum nostro es sera recepta solo.

Tertius optatae testis quod reddita sedi
   Incola nos prece, nos auxilioque juvas.

Factum quoque est pietate multorum et beneficentia suffragante, ut de Hypogeo in ipsa fronte ornando cogitaretur, quae jamdiu Agapen refert Deo pro nobis supplicantem: (5) cui subscriptum est:

GAVDE · O · CLARIVM · EXORANTE · AGAPE · TE · PROTEGIT · DEVS

Subinde consilium etiam captum de aditu a via publica altero aperiendo, qui jam auris salubribus et populo patet percommode. versus autem inscripti sunt duo:

Impius hinc procul esto: Pii succedite: sacrum
   Hac iter est Agapes Martyris ad tumulum.

Intus in Hypogeo extremo contra altare subselliarium eminet, quo se Clerus conferre solet ad sollemnes psalmos, organumque adstructum est, ne deesset quod cantus numerosque moderaretur. sepulcrum autem Martyris, quod sub altaris marmorei mensa porrectum spectatur, habet ad latera exterius urnulas ex aere binas inauratas cum titulo,

AVE · AGAPE · MARTYR · ☧
SALVS · POPVLI · CLARENSIS

At in proximo totius Cellae interioris novo cultu aucta dignitas est, camera ejus opere plastico variata, pilisque peregrinorum marmorum specie perfusis: quae vir optimus Paullus Bedoschus Canonicus, qui nunc Hypogei praefectura splendide fungitur, diligentissime perficienda curavit. tum sub idem ferme tempus eodem auctore septum quoque marmoreum additum videmus, quo tria inter pilas latera ele-

(5) *opus est praeclarum Iosephi Teosae nostratis.*

gantissime clauduntur, aptusque ad supplicandum locus accedentibus exhibetur. nec minus sperandum est fore in posterum, ut major etiam sanctae Agape honor tanti Praefecti studio habeatur, et loco ipsi fama, celebritas, reverentia adcrescat.

CAPVT II.

DE FESTO DEPOSITIONIS

1. Diem Depositionis eum appellabant majores nostri, quo mortuum in sepulcro condidissent. fuit autem sanctae Martyris Agapes Depositio xvII· Kal· Septembres, qui nobis utique sacer semperque honoratus futurus est. norunt hunc et finitimi populi, qui eodem die Martyrem veneratum adveniunt, norunt et longinqui, apud quos virtus ejus et beneficentia celebratur. quanto magis noster in eam animus pristinus perennitatem habere debet, quibus ipsa praestanti in nos liberalitate ac prope quotidianis beneficiis devincta est? quanta vero laetitiae pietatisque significatione instituta jamdiu sollemnia adhuc serventur, Ode satis declarat, quam hic leges.

> Dum clara prodit nomine lux tuo,
> Descende caelo, atque huc, Agape, veni
> Optata jamdudum, novosque
> Vna potis recreare cives.
> Sic Thecla caros ad Cilicas super (1)
> Venisse curru dicitur igneo

---

(1) *V. Basil. Seleuc. Lib.* II. *c.* 10.

Sublimis, et fulgente vultu
Per tenues volitasse nubes.

Iam pagus omnis cum bove, jam vacat
Per prata circum ludere amans pecus,
Festumque civis villicusque
Laetus agit reboante caelo.

Ast ara splendet pulcrior, et tibi
Ornata gratis fumat odoribus:
Lychnisque rursum laureatis
Et facibus radiata lucet.

An forte supplex te populus magis
Delectat? ultro te genibus minor,
Ceu natus ereptum parentem
Accipiet reducemve matrem.

Ad te supinas ipse feret manus,
Sperare certus quidquid opis petat:
Almam vocabit, nec severam
Te Domina metuet repulsam.

Ruris colonus sollicita prece
Te pronus ambit, te juvenum cohors,
Quicumque laudem se labore
Seu studiis meruisse gaudet.

Te novit altum qui bibit Abduam,
Ollique pernix te canit accola,
Mincique quotquot proximasque
Eridani coluere ripas.

Tu spem reducas mentibus anxiis,
Tu robur addas dura ferentibus:
Adsisque dives perroganti
Suppetias tribuisse plebi.

Serves futuris munera saeculis

Quae Roma misit, quaeque sacrum tibi
Claudit sepulcrum, ne potenti
Praesidio miseri carerent.
  Serves tuorum sancta clientium
Patrona mores et sobolem et domos,
Auctura caelestes honores
Queis superas reserabis arces.

Huic diei supplicatio non praecedit, quia sollemnia subsequitur Mariae Virginis sideribus receptae, cujus honori in aede ejus proxima conventus magno pietatis studio per triduum agitur. sed pro triduo septem qui consequuntur dies a populo statis precibus quotidie dicatis ornantur, celebrantur. in ipso autem die festo, qui omnibus caeremoniis et omni cultu peragitur, Synaxis est confluentium, et poenae omnis remissio iis, qui rite expiati supplicatum accesserint. sacrum vero ab anno M · DCCC · I · nomine Agapes Martyris fit ex indulgentia, ut diximus, Pii VII · P · M · quod poëta versibus prosequutus est.

Quum supplex, Agape, tuam sacerdos
  Ad aram faceret, (suprema namque
  Nondum jura dabant) tuum ciere
  Nomen haud poterat tuasque laudes.
  At quae grandia mox loquuta fama est
  De te, Romuleas tulitque ad aures;
  Cui non grata forent? Senatus ipse
  Augusto placide obsequutus ore,
  Poscentes dedit invocare sanctam,
  Bis festum celebrare, bis honore
  Sollemni colere, ut tuo beati
  Simus praesidio tuoque amore.

11. Iam sacra super sepulcrum Martyris quum ab aurora fiant ad meridiem, perpetua populi frequentia Hypogeum redundat; sed maxime quum sollemne sacrum decantatis ab omni Clero psalmis perfici coeperit. a meridie rursum ex ipsis agris adveniunt coloni Agapen suam visuri: nam sepulcrum Martyris patet ad occasum usque solis: redeunt urbani etiam vel voti compotes, ut gratias agant, vel opis indigentes, ut sibi propitiam demereantur. hospites quoque pictura admonet secus viam, festo apparatu insignis, item serici limbi fluitantes, ut in Hypogeum descendere velint: et habent etiam plerique imagines ex aere effictas, aut libellum, unde quisque gemini dies festi facile ediscat.

CAPUT III.

DE FESTIS CONCEPTIVIS

I. Primum quidem mense Maio, quum in Basilica nostra Lipsanorum sacrorum anniversaria sollemnia die Dominico altero celebrantur, eo die Corpus quoque sanctissimae Martyris revelari mos est. iterumque mense Iulio quum festum in Hypogeo peragitur Redemptoris divini, die scilicet Dominico tertio, a meridie sepulcrum patet: et utroque die Agapen usitatis supplicationibus honoramus. quidam etiam quotannis quas libet ferias sextas tres continentes pro studio suo dicare ei solent, easque peculiari obsequio venerantur, sacramentis ad animi expiationem rite susceptis.

II. Sed publico nomine quandoque dies ad supplicandum designatus est ob calamitatem aliquam ingruentem. id primo factum, quum Gallorum exercitus in Italiam infusus ad Ollium pervenisset: quod contigit VI· Kal· Iunias anno M· DCC· LXXXXVI· votum publice tum susceptum, de quo epigramma habes hujusmodi:

> Italiam Gallus peteret dum turbidus armis,
>   Et nostras pauper quaereret exsuvias;
> Ollius obstabat medius sine milite, pronum
>   Inque agros lato ponte patebat iter.
> Suscipimus sero moesti sub vespere vota:
>   Mane, Agape, laeti reddimus ipsa tibi;
> Nec mora, dextrorsum flectit se exercitus omnis,
>   Heic et tutus ager, tuta fuitque domus.

Quum vero bellum rursum anno M· DCCC· timeretur, iterum Martyri supplicatum est, et voto suscepto patrocinium imploratum.

Dum discordia perfidos tumultus
Bellum et classica nunciant sonora,
Hos inter fremitus gravesque motus
O nostros, Agape, tuere fines,
Huc quae Romulea volens ab urbe
Servatrix ades, incolaeque more
Iam civis studiosa, jam Patrona
Dici et esse libens amas clientum.
Pax si manserit heic, tuamque dextram
Hostis si metuet; sacro heic peracto
Laudes laeta cohors tuas canemus:
Latique auxilii tabella testis
Dicet hospitibusque posterisque
Tua rursum ope Clarium stetisse.

III. At multo frequentius pro aegrorum salute Clerus rogatus convenit ad sacrum sollemne, nec sine populi confluentis sollicitudine de civium suorum valetudine ex animo laborantis. compertum quippe est, benignam Martyrem precibus nostris adnuere, praestitemque esse: quod nimirum aut convaluerint, pro quibus ad ejus sepulcrum sacro facto supplicatum fuerit, aut certe aegrotantes tempus sibi mirum in modum impetrarint, quo animi labes abluerent, et graviori morbo liberarentur.
Quod reliquum est, fateri jam omnes debemus, divino plane munere sanctae Martyris Corpus ad nos pervenisse, ut in tutela ejus quiesceremus, in eaque tamquam Patrona pientissima paratum nobis praesidium adversus omne hostium genus quotidie experiremur.

Haec tibi sint, Agape, nostri pia munera amoris,
De te perpetuo ut fama loquatur anus:

Nec de te solum quot adhuc benefacta fuere,
  Sed quae nostri etiam grata animi officia :
Quo nempe exsuvias cultu, quo nomen honore
  Tota tuum supplex Patria prosequitur.
At studii haec nostri fac sit mansura voluntas,
  Vt par in populo Relligionis erit.
Hanc sequimur, tibi nos dum plaudimus, hancque sequetur
  Quae sapiet post nos ultima posteritas.

CAPVT IIII.

DE BENEFICIIS IMPETRATIS

Vtinam, ut benigne adnuit Agape opem ejus implorantibus, sic et iidem omnes accepti beneficii tabellam testem exstare voluissent! multo plura caelestis largitatis monumenta haberemus. sed his tamen deficientibus non patiar latere, quae ad aures meas pervenerunt. ea sunt hujusmodi.

Aeger solatio recreatus

Insomnis longa nuper quum nocte jacerem,
Torreretque ambos dira podagra pedes:
Supplicio in tanto mihi quae solamen adesset,
Imploravi Agapen: ter fuit auxilio:
Actutum blando nam sparsit membra sopore,
Perfuditque artus rore benigna suo.

AVLVM · IN · MILITIAM
AB · AGRO · ABREPTVM
AGAPE · ORANTEM · AVDIVIT
LIBERVM · REMISIT · DOMVM

ΑΓΑΠΗΙ · ΜΑΡΤΥΡΙ
ΕΥΝΙΚΗ
ΜΝΗΜΗΣ · ΧΑΡΙΝ
ΟΤΙ · ΔΙ · ΑΥΤΗΣ · ΖΗΙ

FLAGRABAM · AMENTIA
INFLAMMATVS · LIBIDINE · FEREBAR
IN · VETITVM
TVO · DE · MVNERE · AGAPE · SANCTA
ODIO · IAM · EST · QVOD · AMABAM

NVPTIAS · COGITABAM
VIR · ERAT · IN · PROMPTV
TV · MIHI
ADFVISTI · AGAPE · FACEM · PRAEFERENS
VIRGINITAS · MIHI
IAM · IN · DELICIIS · ERIT

MALVS · AH · PEREAT · PVDOR
QVI · ME · PERDITVM · IBAT
TE · AVSPICE · TE · ADIVTRICE
AGAPE · MARTYR
LABEM · ANIMI · EXPIAVI
VICTORIA · LAETVS

AGAPE · EXORANTE
DIVINITVS · DATVM · LAELIAE · FAVSTI
NE · IN · AQVIS · PERIRET
CVIVS · EFFIGIES · HEIC · POSITA · EST
VT · ESSET · AD · POSTEROS · MIRACVLI · EIVS
MONIMENTVM

DONARIVM · ARRVNTIARVM
QVOD · AGAPE · PROPITIA · DOMVS · TOTA
EXTINCTIS · ODIIS
TRANQVILLITATE · VTATVR

SALVIA • MATER
INFANTEM • PVERVM • SERPENTE • VLCERE
LANGVENTEM
ANTE • SEPVLCRVM • AGAPES • MART •
SVPPLEX • RECEPIT • INCOLVMEM

SEPTIMIVS • PATRIA • EXTORRIS
IN • EXSILIO • CONSENESCEBAM
IMPLORATA • AGAPE
DOMVM
POSTLIMINIO • REVISI

FLAVIA • MATER
CAMILLO • FILIO • INCOLVMI
AB • HESPERIA • VLTIMA • RECEPTO
AGAPE • MARTYRI
GRATIAS

QVOD · NEC · STERILEM · RVBIGINEM · SEGES
NEC · FOECVNDA · VITIS · PESTILENTEM · AFRICVM
SENSERIT
COLONI · MONTICELLENSES
AGAPE · MERENTI
DONVM · DEDERE

ICTV · ARBORIS · PROPE · FVNERATVS
FILIIS · NOMEN · TVVM · AGAPE · SANCTA
INCLAMANTIBVS · REVIXI

MAXIMILLVS · PVER
MODO · VALGVS · DISTORTIS · CRVRIBVS
A · SEPVLCRO · AGAPES · MART ·
RECTIS · PEDIBVS · IN · AMPLEXVM
MATRIS · VENIT

DESIDERATVM · IN · PROELIO · VIRVM
ANTE · SEPVLCRVM · AGAPES · MART ·
DEFLEBAT · BERENICE · MVLTIS · LACRIMIS
DOMVM · REVERSA
VIRVM · COMMEATV · IMPETRATO
INVENIT · REDVCEM

ELISA · MOERENS
OB · NVTRICVM · ALTERAM · PVRVLENTAM
IMPLORAVIT · OPEM · AGAPES
AMBAS · PERENDIE · SORORIANTES · SENSIT

MAXILLA · VTRAQVE · DOLENTE
FRENDEBAM · DENTIBVS · GEMENS
NEC · LACRIMIS · TEMPERABAM
ACCESSI · OSCVLATVM · DENTEM · AGAPES · N·
ILLICO · STETIT · DOLOR

INSTABAT · MIHI · MORS
AT · VOX · FAVCIBVS · HAESERAT
ADMISSA · RITE · ACCVSARE · NON · POTERAM
INVOCATA · AGAPE · BIS · ADFVIT
VOCEM · REDDIDIT · VITAM · SERVAVIT

ANNO · M · DCCC · XIIII ·
IIII · KAL · NOV ·
VOTIS · PVBLICE · SVSCEPTIS
AGAPE · IMPLORATA · PLVVIAS · SVSPENDIT
ET · A · SVPPLICATIONE · PRAESENS
AGROS · AQVIS · OBRVTOS · OPPLETOSQVE
PATEFACTO · SOLE · RECREAVIT

IIII · KAL · APR ·
ANNO · M · DCCC · XV ·
SVPPLICATIONE · INDICTA
ET · SACRO · AD · SEPVLCRVM · AGAPES · FACTO
VTI · CVSTODI · SVO
PAVLLO · BEDOSCHO · CVRIONVM · PRIMO
DE · VITA · OB · MORBI · VIM · PERICLITANTI
PROPITIA · ADESSET
CIVIVM · VOTA · AVDIIT
ET · VALETVDINE · REDDITA · PRAECLARVM
ANTISTITEM · PATRIAE · REDONAVIT

Haec satis, ut de beneficentia Martyris nostrae erga nos fama transeat ad posteros: qui experiri ipsi etiam facile poterunt, quanta sit apud Deum gratia, siquidem eam pari atque nos religione et observantia colendam sibi celebrandamque existimarint.

FINIS.

ΜΙΧΑΗΛΕΙΑ

SIVE

DIES FESTI

PRINCIPIS ANGELORVM

APVD CLARENSES

Quae modo jam senior confecta aetate parabam
  Sera tuo, Michaël, compta ministerio;
Exiguo quamquam censu, nec digna magistro,
  Accipe quae toto dat tibi mens animo:
Spero equidem, nec vana fides, potiora rependes
  Caelesti veniens quae dabis auxilio.

PRINCIPI CAELESTIVM

MICHAËLI SANCTISSIMO MAXIMO

TVTORI NOMINIS CHRISTIANI

PERPETVO INVICTO

VOTA CLIENTIVM NOVORVM.

Honoris tui solium, alme Michaël, apud Caelestes admirati, adeo dignitatis tuae splendore perstringimur, istam ut majestatem mens animi perferre vix possit. quia tamen eximiam decoris tui speciem suavitate quadam adspergis, neque supplicantium cuiquam admissionis spem eripis; liceat nobis adspirare quo vocas, propitiumque te nobis addita alacritas reddat, cujus in tutela adquievimus. tu nimirum auctor mortalibus es laeti-

tiae omnis et faustitatis, quo scilicet magistro jamdiu didicimus, ne nobis quidem iter illud ad caelum adnitentibus fore interclusum: paratas imo cuique sedes esse, ubi aevo beatissimo perfruamur, extorribus inde teterrimis hostibus, quos ipse triumphator invictus profligaveris. itaque hoc primum postulare audemus, uti volens libensque vota nostra et gratulationes et studia accipias cultorum tuorum. nam unus maxime et imploratas preces benignus audis, et gratulantium de victoriis tuis officia probas, et nominis tui studiosos gratae voluntatis significatione prosequeris. utinam vero quae tua erga homines pietas est, eandem omnes qua par est fide et virtute imitemur. eaque potissimum in oculis habere nos juvet, quibus sanctimoniam tuam, dignitatem, honores, res gestas perpetua recordatione summoque obsequio complectamur. atque haec profecto tibi nemo non debet; quum beneficia tua piorum consensu et communi religionis nexu conjuncta videantur. sed quum hoc etiam nobis indulgentia tua adtributum sit, ut prae ceteris in cultorum tuorum numero censeamur, studium jam erga te nostrum ejusmodi esse oportet, ut conatus aliorum et recte facta longe superemus.

quantum enim ex benevolentia tua et liberalitate auxilii nobis et utilitatis accesserit, curae tantundem et laboris et diligentiae a nobis impendendum est, ut grati semper atque beneficiorum memores reperiamur.

Et haec quidem in votis sunt, ut quae desiderio ipso jamdiu incohata vides, ea opere aliquando perfecta recognoscas. sed tamen age, caelestis Patrone, qui rectâ petentibus bonus adnuis, hoc etiam muneris tui fac esse, ut nec memoria tui unquam animo excidat, et virtutum tuarum decora nos specie ipsa semper et splendore delectent. sic constanti amore tuos invenies, idemque efficies, ne tua nos amplitudo majestasque deterreat. quin et illud a te facile impetrabimus, ut ne ipsum quidem munusculum rejicias, quod tibi in libello nostro, qualecumque est, unanimes exhibemus. id utique ea mente dedicatum volumus, ut quamdiu in tutela tua nos esse gloriemur, tamdiu praesidium nobis ad salutem nunquam defuturum intelligamus.

Quia demum ne eos quidem negligis, quos praeterea in ejusdem nominis societatem nobiscum conspirare percupimus, eos quoque liberalitatis tuae

velis esse participes : quo et laetitia clientium tuorum in dies adcrescat, et obsequentium studia sanctissimis religionibus augeantur.

Dulce est, o Michaël, caro de nomine plures
Quod duce te sacro jungimur auspicio.
Augeat et numerum rursus submissa juventus,
Quae simul imperio militet alma tuo.
Hoc juvat: ingentes auctus quum fama loquetur,
Accepta haec referet munera quisque tibi.

CAPVT I.

DE CELLA MICHAËLIANA CLARENSIVM.

Quum superioribus aetatibus insignia passim monumenta extarent memoriae dicata sanctissimi Principis Angelorum, mirandum plane est defuisse temporibus nostris, qui tanti Ducis dignitatem laudemque veterum exemplo renovarent. et Claris quidem praeter imaginem unam, quae in aede Sancti Archidiaconi Bernardi visitur, vestigium erat aliud nullum, quo magni Michaëlis cultus celebraretur. in ipsa autem urbe Brixia, quam multa et praeclara templa exornant, aedes adhuc Archistrategi desiderabatur, quum eam primus destinavit Episcopus noster pius idem ac sollers, quam veluti arcem esse voluit tutelae paratam defunctorum.

Ceterum Clarensibus datum est, ut anteverterent, insignemque Cellam primi constituerent, quae caelesti huic Patrono sacraretur. praeclari operis potior laus fuit spectabilis viduae, quae locum Cellae optavit via Iacobea extra pomoerium, ubi aedes eminet sanctae genitrici Dei sacra, quam duo praeterea ex Apostolis tresque alii e sanctis caelitibus adprime illustrant. verum ne manus illico operi admoveretur non tam religiosae feminae mors, quam perversorum hominum voluntas obstitit, pecuniam intervertere conantium, quae vindici sanctissimo jamdiu debebatur. biennio officiosius quam res posceret elapso, res demum in forum deducta est, eoque in judicio adversarius tandem, praestantissimi adolescentis prudentiam expertus, caussa cecidit.

Post haec mora omni sublata, quum idus essent apriles anni M· DCCC· XIIII· a lapide auspicali initium factum, jactis

que fundamentis, quum operae nunquam cessassent, intra quintum mensem moles educta, opusque prope perfectum visum est. tholo enim imposito et corona subjecta, pilis quoque additis sex, quae Cellae formam definirent, jam aedificium spectantibus adridebat. at binae item portae ad latera apertae, simul et fornix anaglyptis ornatus, altare vero e marmore elegans accessit ejusmodi, nihil ut ad speciem deesse videretur. sed et tabulae praeterea duae additae marmoreae, quae in aeternam memoriam sanctae atque sacratae essent, altera ut historiam absoluti operis sic referret:

MICHAELI
PRINCIPI · ANGELORVM
INVICTO · MAXIMO
KATHARINE · IOAN · ZANETTI · F ·
KATAPANIA
CELLAM · AVGVSTAM
PRIMA · DEDICARI · IVSSIT
CVLTORES
CAELESTIS · PATRONI
AERE · CONLATO
PERFICIVNDAM · CVRAVERE
ANNO · M · DCCC · XIIII ·
FAVSTO · FELICI

Altera vero, quae supplicationis formulam exhiberet, his verbis:

MACTE
O · DAEMONVM · POTENS
MACTE · O · DVCTOR · ALME
DECEDENTIVM
TVAM · QVICVMQVE · SVPPLICES
HEIC · OPEM · IMPLORAVERINT
TV · MICHAEL · SANCTE
EXORATVS · AVDI
AVDI · ET · MAGIS · POSTVLANTES
VTI · VITAE · IN · EXITV
TE · QVI · TVTOR · ES · FIDELIS
PRAESENTEM · SIBI · SENTIANT
ET · PROPITIVM

Septembri autem mense prope exacto, quum novae Cellae dedicationem permulti urgerent, impedimento esse videbatur eximii operis nondum absoluta delineatio, ipsa nempe Imago summi Principis Angelorum, quam Teosa noster magno studio perfectam exoptabat, quae scilicet ingenii ejus et judicii publici insigne monumentum futura erat. interea quum in promptu esset, atque etiam oblata fuisset effigies altera, quae vicem hujus apte supplere posset, ipse etiam adnuisset indulgentissimus Episcopus noster, ut jam ea dedicatio a Praeposito Clarensium perageretur, pridie kalendas Octobres, qui dies nobis magno semper in honore erit, multis mortalibus undique adfluentibus incohata rite supplicatio est Clero omni adstante, et singula ex ordine peracta, quae sanctissimis ceraemoniis concluduntur. dedicatione absoluta sacrum sollemne indictum corona ministrorum adstante, et

ab Evangelio pronunciata Laudatio est diserti oratoris: musico etiam concentu aucta celebritas, quae mire populum exhilaravit.

At VIII. idus Majas anni insequentis, quum honori caelestis Patroni sollemnia iterum peragenda essent, auxit populi laetitiam adlata denique effigies Teosiana, quae Cellae nostrae splendorem adtulit singularem. quamobrem insigni hac tabula in sedem suam recepta, eaque rite lustrata omnes operi cives hospitesque plauserunt: ipsumque monumentum religio sacrasse visa est, atque impensius ad cultum animos illexisse. jamtum enim fuit, qui et tantum Ducem una cum caelestium exercitu ad novam festi diei celebritatem versibus invitaret hujusmodi:

Dux sacri Michaël agminis, huc age
Ad festum propera quem colimus diem:
Huc tecum rutilis ducito caelitum
Sanctos sideribus choros.
Te namque aligerûm prosequitur libens
Quovis alma cohors te duce daemonum
Victrix, quae superis addita sedibus
Virtutis memor est tuae.
Gratis ara, vidên? fumat odoribus
Et multis populus te precibus vocat:
Implorate fave, nostraque supplicum
Summo vota refer Deo.
Heu terret miseros exitus anxii
Impendens animi, spretaque judicis
Majestas, scelerum quem fore vindicem
Seros relligio docet:

Terrent insidiae, quas struit hostium
Conjuncta cohors, perdere quae genus
Humanum adgreditur, sedibus et suis
Adscitos pepulisse avet.
Ergo funerea ultima ubi faces
Jam lux extulerit, raptus in aethera
Fac terris subito spiritus avolet
Caelestem in patriam levis:
Fac prodire chorus gestiat obviam
Laetantis populi, caraque civium
Invitet propior dextera, quot poli
Nunc arces pedibus premunt:
His laudem sociis ut Pater audiat
Natusque unigena et temporis inscius
Ex utroque fluens Spiritus, omnibus
Vnus qui Deus imperat.

Quum autem per eos dies multi quoque e finitimis visendi studio aedem nostram adirent, et tabulam Teosianam plerique omnes commendarent; fuit tamen qui cetera probans, vultum nihilominus magni Archangeli reprehenderet, quod tanto hoste prostrato irarum in eo indicia nulla eminerent, neque de victoria exsultare animus eius videretur. at ille non vidit, eam pictoris mentem fuisse, ut non tam Angeli vim, quam ipsam virtutem ostenderet, eique hoc magis acceptum, Deo tum esse satisfactum: quo nihil certe Angelo jucundius accidere unquam poterat, ut in epigrammate adnotatum animadvertes.

Subridet Michaël devicto interritus hoste:
Nec mirere, olli jam nihil est reliquum.

Scilicet aeternum caelestibus exul ab oris
Frustra hostis cives increpat aetherios:
Pax superis parta est, superis victoria cessit,
Dux facti Michaël praemia prima feret.

Haec demum laus Clarensibus debetur, ab ipso exordio ampliatae aedis mira cultorum exarsisse studia, qui Cellam Michaëlianam exornare caeperunt, festosque dies sibi nuper optati tutoris ac vindicis in honore quotannis haberi voluere. nec defuit, qui pulcherrimum Imaginis exemplum in aere effingendum curaret, ut multiplicatis exinde formis effigiem quisque vel domi habere posset, quae magnum saepius Archangelum in memoriam revocaret. sed illud in primis commendandum est, ex eo die clientes pientissimos jam optare sibi ac petere, non modo ut tantum Patronum ubique propitium habeant, sed etiam ut eundem maxime in mortis suae discrimine praesentissimum experiantur: quemadmodum versibus quoque nonnulli exposuere:

Quae tibi nunc vario fulget sacra marmore Cella,
O Michaël, domito dux metuende Erebo:
Hanc primum mulier pia condidit, hancque clientes
Dein studio ornantes excoluere tui:
Ut sibi nimirum praesens, ut civibus idem
Mortis in ambiguo limine adesse velis.

Tartareus quamvis crudelius infremit hostis,
Nos ubi in extremum mors rapit interitum;

Quid metuas, Michaël tibi si fortissimus adsit,
Cui cessere hostes aethere quotquot erant?
Quem colis, hic vitae columen, morientis et idem est
Solator: mortis quippe habet imperium.
Ipse iter insuetum tibi pandet in avia, teque
Victorem lateris ducet in astra comes.

CAPUT II.

DE ALTARIBVS AEDIS NOSTRAE PRIORIBVS.

Veterem tabulam, quam altare maximum adhuc exhibet, indoctus auctor sic pinxerat, ut inter Apostolos Philippum et Iacobum Domini nostri Anastasis supra sepulcrum ejus emineret: omnino ut vides mendose; neque enim resurgenti a mortuis Christo Apostolorum quispiam adfuit: ergo ex sancti Caroli Archiepiscopi nostri praescripto (1) commentum illud tandem submotum est, ejusque loco rite inserta vetustae memoriae imago Mariam Virginem referens sideribus receptam, cujus jamdiu dies festus quotannis XVIII · kal· Septembres summa religione celebratur, eo ad sollemnia conveniente Collegio Faustiniano frequentique viciniae coetu. id ipsum titulus indicat, quem in pronao proponi mos est:

DOMINAE · NOSTRAE
SANCTAE · GENETRICI · DEI · MARIAE
SIDERIBVS · RECEPTAE
CVRIA · TERTIA · SACRIS · SOLLEMNIBVS
OPERATA · DEDICABAT

---

(1) *V. Conc. I. Mediol. an.* 1565. *apud Hard. T. X. p.* 643.

Phaleucios autem simul liceat adscribere, qui ad eum diem pertinent, et Curiae nostrae pietatem praeseferunt:

Virtutum meritis beata partis,
Et sero mage nobilis triumpho,
Salve o sidereo recepta caelo,
Quae Regis solio locata fulges,
Sanctae virgo eadem parensque prolis,
Et totius amor decusque olympi.
Adsunt scilicet hoc die frequentes
Si rursum tibi Curiae, pioque
Si plaudens reboat choro juventus,
Da nostri studium placere amoris,
Et justis merita adprobasse votis.
Inanis nihil adlicit voluptas,
Insanaeque nihil morantur aurae,
Nec fastus male perdit ambitusque.
Vnam te canimus ducem ac magistram,
Vna es, quam dominam vocamus: uni
Sacros perpetuo scias honores,
Quibus te colimus. fave; juvabit
Tui nos meminisse: quippe talem
Quis frustra dominam vocavit unquam?

Eodem vero in altari magnos quoque Apostolos honoramus, Philippum nempe Bethsaideum et Iacobum Adelphoteum, quorum dies festus kalendis Majis adnexus est (1). eum porro non Cleri tantum conventus, sed Curia etiam

---

(1) *V. post alios Zacariam dissert. de tribus Iacobis a p. 7.*

universa celebratiorem facit, opem singulis patrociniumque religionis pacisque caussa implorantibus, quod versus quoque designant, quos subjicio:

Relligio in primis cara est, qua vivere caelo
  Discimus, et vanas temnere divitias:
Virtutis socia est Pax altera; quippe beatum
  Ipsa facit, tristem qui fugit invidiam.
Custodes sancti, patriae queis maxima cura est,
  Haec date: sat vestra tot bona tuta prece.

Eodem et Inscriptio spectat, quae hoc die ad aedis portam prostare solet:

PHILIPPO · BETHSAIDEO · IACOBO · ADELPHOTEO
MAGNIS · APOSTOLIS
CAELESTIBVS · PATRONIS · CVRIAE · TERTIAE
VICINIA · VNIVERSA
SACRIS · ANNIVERSARIIS · HONOREM · HABET

Et augent interdum hujus diei popularem frequentiam statae supplicationes ob impetrandam agrorum fertilitatem, siquidem eodem tempore triduum occurrat indictarum precum, quas senariis hisce significatas intelligas:

Veris reduxit dies alma faustitas,
  Euge, quid times? duplicatis precibus,
  Caelestes modò quas effundunt proceres,
  Sperare laeta ipsi nos jubent auspices.
  Agrorum nempe custos bonus vigilat
  Non unus, tristes averruncans nebulas;

Nec saeva grando tuis unquam frugibus
Aut ventus urens aut loligo obfuerit,
Nil edax bruchus, nihil locusta vorax,
Non efferatae quae redundant pluviae.
Tu cave mali vindicem doli Deum,
Cave, neglecta ne sit damno pietas:
Iam vitis sera, jam ditabunt segetes,
Et plenis nihil trepidabis horreis.

Quod reliquum est, hinc tibi ad laevam regresso altare se obferet Blasio Hieromartyri sacrum, cujus signum adfabre elaboratum duo alia decorant, alterum Erasmi antiqui Martyris, cujus diem festum colimus IIII· nonas Junias, alterum Gothardi Episcopi Hildesheimensium, quem saeculo XI· floruisse comperimus (1); vitaque functum IIII· nonas Majas. sed Blasii potissimum illustris fama, quem et Collegium Faustinianum sollemni conventu honorat III· nonas Febr· et Curia ipsa titulo ad portam proposito memoriae commendat.

BLASIO · HIEROMARTYRI · SANCTISSIMO
CVRIA · TERTIA
VINDICI · ARTIVM · SALVTARIVM
VTI · POPVLO · VNIVERSO · PROPITIVS · SIT

Eundem cum aegrotantium multi propitium sibi expetunt, tum vero ii maxime invocant, qui angina laborant: cujus rei caussa veterem quoque ritum plerique observant, ut ho-

---

(1) *V. Ferrar. in Catal.* 55. *p.* 183.

dierno die ad sacerdotis genua accidant, quo decussatis candelis lustrentur: quos quidem hi versus ad majus pietatis studium hortantur.

Solator bone tristium salusque,
Blasi, o si miseros benignus audis,
Et preces bene supplicumque vota
Succedunt, age quaeso perrogantes
Tot jube modo languidos valere,
Qui plaudunt tibi, dexteramque praebent.
Sed quos auxilio juvare pergis,
Fac illos meminisse, quid reposcat
Ipse auctor Deus omnium bonorum
Cui par est mage gratiam referre,
Vnus qui dederit, fovetque vitam.
Jam docti sapient, datisque laeti
Debebunt tibi plura, quam petebant.

Sed jam nimis multa extra chorum, ut haec praeter argumentum addita queri possis. nonnihil tamen intererat, ut et de sacra aede aliquid saltem diceretur, cujus ambitu Michaëlianam Cellam videas contineri.

CAPVT III.

DE FESTO DIE PRINCIPIS ANGELORVM PRIMO.

VIII. idus Majas, qui dies octavus est a sacris sollemnibus duorum Apostolorum tutelarium, nova sollemnia instauramus honori magni Michaëlis, quem eo die a multis mortalibus in Gargano monte visum accepimus ostento insigni, quod tum omnium celebratione vulgatum est, Gelasio Pontifice Maximo rem confirmante, quam annus designat CCCC. LXXXXIII. vetustam autem narrationem Vghellius (1) aliique ediderunt, in qua legere est de spelunca in finibus Sipontinis divinitus electa, quae Michaëli sanctissimo sacra in ipso Gargani montis vertice jamdiu summa religione colitur, et clara prodigiis finitimos populos in tanti Patroni tutela esse portendit. ea porro memoria perennavit, perpetuoque Ecclesiae sanctae testimonio propagata perseverat.

Ergo et apud nos ejusdem diei manet auctoritas, nec quidquam eorum omitti solet, quae decorem apparatus elegantiamque augere possint. itaque et aedes tota sericis compta velaminibus renidet, et Cella in primis omni ornamento fulgens cives undique frequentes specie ipsa et dignitate invitat. adsunt sacerdotes sacris operantes, nec ministrorum copia deest, quorum opera sacrae ceraemoniae peragantur, musici quoque concentus in promptu ad laetitiam, et in aedis etiam pronao festae hilaritatis indicia prostant. adsunt praeterea, qui populo sacras imagines et nomismata diribeant,

---

(1) *Italiae sacrae T. VII. a p.* 1107.

viris quibusdam eximiae pietatis adnitentibus, ut caelestis Patroni cultus religioque prorogetur. titulus quoque de ea re prostat ad portam, isque bis propositus, ut duplex diei festus indicetur:

MICHAELI
INVICTO · BELLIPOTENTI
PRINCIPI · ANGELORVM
CVRIA · TERTIA · POPVLO · BIFARIAM · SVPPLICANTE
HONORES · ITERAT
IMPLORATISQVE · PRECIBVS · VOTA · SOLVIT

Accessit interea nova caussa, quae piorum animos accenderet, faustus implorati patrocinii eventus, et vulgata beneficiorum caelestium fama, quam et tabellae votivae comprobarunt, ut senarii subiecti indicant:

In beneficio crede non vides omnia:
Plaudis, quod aegrum Michaël morti surpuit,
Aegrum Damona mortis ipso in limine.
At plaude quaeso magis, quod interitum
Damon superno auxilio aeternum fugerit.

—

Puellam febris Nicen urebat gravis,
Amissam mater moesta flebat filiam:
Sed ille ab arce caeli praesens adfuit,
Cui parent magni principes caelestium;
Nec mora, hunc statim utraque sensit praestitem.
Nam duplicem sanavit aegritudinem,

Iam nata matri, natae matre reddita.
Benigne factum sibi quae norant, illico
Lubentes ambae votum solvunt merito.

Qui crure nuper saucio prorepere
Frustra ausus vitam tristis trahebam domi,
Tuo repente, Michaël, de munere
Aram clientes tibi quam sacravimus
Vt vidi, utroque constiti rectus pede.
Caelestis nosco praesens auxilium Ducis,
Perennes memor tibi acturus gratias.

Sed illud maxime valere debet, quod sanctorum virorum exemplis commendatur, qui jampridem magni Archangeli et virtutem reveriti sunt, et benevolentiam promeruerunt. hos inter ille immensae prolis auctor mirabilis eminet Franciscus Pater, quem utinam omnes pari studio nobis ad imitandum proponeremus. hic olim quum in Apuliam venisset, sitam in Gargano speluncam invisurus invicti Archangeli praesidio et virtute venerabilem, oppidani, quibus viri sanctitas ignota non erat, dignum plane habuere, quem ad accessum aliis fere interclusum invitarent. nec tamen ille ausus eo pedem inferre, substitit ad fores supplicaturus: et tantam loci majestatem ob Angelorum frequentiam esse affirmabat, nemini ut procedendum interius arbitraretur. atque idem tamen, quum summum Archangelum omni obsequio coleret, propitium sibi habebat ubique, impetravitque, ut in quadragenario illo jejunio, quod honori ejus quotannis servabat, novo prodigio mira secum divini amo-

ris vestigia referret, auctoris sui muneribus dives, a quo jam caelestem in patriam vocabatur.

Ipsam denique speluncam multorum saeculorum fama illustrem, et advenarum frequentia per omnes aetates nobilitatam hi versus commendant.

Num scopulos inter rudibusque horrentia saxis
Antra erit, o Michaël, haec tibi cara domus?
Nae erat: hospitio postquam tua reddita tanto est,
Illico cuncta tuo pulcra decore nitent.

CAPVT IIII.

DE FESTO DIE PRINCIPIS ANGELORVM SECVNDO.

Quem diem festum Archangelo sanctissimo sacrum ordine secundum dicimus, is dignitate prior est, qui et in quatriduum protenditur. nam VI· kalendas Octobres incipit apud nos supplicatio trium dierum libello indice, quid quoque die praestandum sit: eosque dies multorum pietas facit celebratiores. at III· kalend· Octobres religionem in primis et laetitiam passim eminere videas. ab ipso solis ortu sacram aedem vicinia tota frequentat, sacerdotes adsunt sacra facientes, collucent circum faces, serica de more ornamenta Cellae potissimum splendorem augent. hora autem indicta sacrum sollemne adstante Collegio Faustiniano incohatur. exinde Laudationem orator pronunciat, quam concentus subsequitur musicorum, conspirantisque populi comprobatio. neque enim quemquam videas, ad quem hujus diei studium gaudiumque pertinere non videatur. haec inter tamen eorum maxime pietatem elucere animadvertes, qui unum illud cor-

di habent, ut a caelesti Patrono precibus suis certi aliquid eliciant de suo exitu: rati ab eo fortasse se scire id posse, quod ille nempe jam novit, quos in caelum sit Deo propitio inducturus. fuit et quidam, qui sibi rem tantam prodi divinitus postularet, quod utique cui non jucundissimum futurum sit?

Salve dux bone caelitum,
    Auspex militiam qui regis inclitam:
Salve maxime principum,
    Vnus qui superûm singula noveris
Doctus nomina civium,
    Quos sanctis meritos sedibus inseras:
Si fas, dic age, num tuos
    Inter me numeres, omnipotens quibus
Arces adtribuit Pater
    Tecum perpetuas, praemia fortium?
Hoc me nunc doceas velim,
    Hoc me scire juvat: dulcius et nihil
Caelestis mihi nuncius
    Optanti adveniens, o Michaël, feres.

Enim vero a meridie rursus confluentium civium multitudinem spectare liceat, qui magnum Archangelum salutaturi propitium sibi eum fore sperant, nec Cellae ejus invisendae finem faciunt, certi jam se sine praemio non abituros. sub vesperam autem adveniente Clero psalmi rite concinuntur, et tota festi diei celebritas sollemni ministerio perficitur. nec tamen hic finis gestientis juventutis et laetitiae popularis.

Novum sub noctem spectaculum in promptu est. lucernarum ardentium pulcra et scita congeries longo ordine ul-

tra viam Iacobeam resplendens, totumque suburbium illuminans, ab aede sacra initio ducto, quae fulgorem suum quaquaversus diffundit, et viciniam universam variata forma delectat. haec autem, si vacat, phaleuciis accuratius descripta legas:

Octobres modo tertius kalendas
Qui nobis nitet optimus dierum,
Nullum tristitiae locum relinquens
Huc ad gaudia nos vocat. favete:
Solem nemo videbit occidentem,
Insomnesque fluent libenter horae.
Festus quippe diem dies reducit
Depulsis vacuum omnibus tenebris:
Iamque effusa iterum ruit juventus,
Et plaudunt pueri obviam, tuumque
Gaudent, o Michaël, ciere nomen.
Viden' ut facibus domus viaeque
Accensis rutilant, simulque caelo
Astra quot remeant corusca, longum
Vt signant iter obstrepentis ignis?
Sed via ante alias decora lato
Iacobea jubar refundit ardens,
Et sacra reduces ab aede jungit
Gaudentes iter invenire multis
Novum civibus omen advenisque.
Caret laetitia nihil, juvatque
Adspectu variata contueri,
Nec semel satis adfuisse: rursum
Occurrunt cupidi videre, mira
Si quisquam sibi contigisse narret,

Nam sperant merito parata , si quos
Àdduxit pietas amorque veri.
Felix qui didicit relata caelo
Ostenta et placidas quietus auras,
At felicior ille, per supernos
Qui tractus levis aureas quadrigas
Hos inter potuit tueri, et almi
Adspectum Ducis, ipse dum beatam
Praesens auxilio revisit urbem,
Et sperata amat adtulisse dona.
Hoc te nunc populus rogat , petenti
Da bone o Michaël , tuaeque nunquam
Dicet immemorem benignitatis.

Illud demum ad commendationem civium nostrorum mire facit, quod in magna illa laetitiae significatione iteratisque plaudentium vocibus turbarum nihil uspiam sit, quod offendat, aut alacritati modum defuisse declaret.

CAPVT V.

DE SODALIBVS MICHAËLIANIS.

Quamquam a parvis vel magna initium habere solent, ipsum tamen incliti Archangeli nomen effecit, ut sodalitatis ejus exordium incrementa apud nos haberet illustria. ex quo enim Cellae nostrae peracta dedicatio est, complures illico exstitere, qui se in numero Cultorum tanti Patroni recenseri vellent. itaque mira animorum consensione data nomina sunt, et societas coaluit profitentium palam in ejus se tutela perpetuo fore. atque hi quidem hoc jamdiu servant, ut Cellam hanc nostram religionis ergo fere quotidie invisant, eodem amicos supplicatum adducant, studiosorum cultum ornatumque augere pergant. illud praeterea in votis est, ut quotannis sollemni ritu Sodales vicinia procedente in Basilicam usque conveniant, ut illic stato tempore horam de quadraginta peragant, quae adorationis caussa publice de more celebrantur.

Ea etiam Sodalium cura esse solet, quoties alicujus e socii vita periclitatur, ut ad preces fundendas plerique coëant, accensisque in altari facibus de caussa supplicationis admoneant. quamobrem vota saepe piorum duplicantur, horumque caussa sanctissimi Archangeli patrocinium properatis auxiliis urgetur. id ipsum subjecti versus designant.

Quam bene vos pietas, socii, facit esse sodales,
  Quam bene perpetuo foedere junxit amor?
Mutua sic crevit studiis accensa voluntas,
  Et mea multorum sunt bona, suntque tua.

Singula nam vobis Michaël communia fecit,
Concordi veniunt quae simul ex animo.

Hic autem pietatis sensus eodem tempore ad feminas quoque manavit, quae jamtum stipem etiam in Cellae ornamenta sponte contulerunt, nomen scilicet suum extare cupientes, ut antiquae religionis et perpetui studii sui monumentum esset. audi quaeso eas, nam interest, a caelesti Patrono quid petant, senariis hujusmodi adscriptis:

Ave nuptarum custos, ave virginum
Potens tutela, castus cui placet pudor,
Cui carum semper decus est modestia:
Habe magnorum Princeps o caelestium,
Quid omnes tibi supplicantes poscimus
Sodales inter studio non ultimae:
Deliciarum primum ut delectet nihil,
Aut leves forma fallat elegantior;
Non ulli dites esse sit pulcherrimum,
Aut viros invenisse de primoribus:
Sit virtus cordi, sit justitiae soror
Incorrupta fides comprobante numine:
Regnare tecum uti beatis liceat,
Vnum spectare quod morituros juvat.

Atque haec quidem diu mansura speramus, quod priorum pietas sequentium pietatem auctura videatur. virtutem quippe exemplis ali manifestum est, nec deficere simul omnia solent, quae varia succedentium aetate recepta et communi studio probata sint.

CAPVT VI.

PRECES PIORVM.

Liceat hic adponere, quae Cultores tanti Patroni, quoties religionis caussa Cellam hanc nostram tamquam beneficiorum fontem adire solent, sibi ex animo et propinquis et amicis postulare non desinunt, hisce interdum aliisve formulis, quas exhibemus.

O · CAELESTIVM · PVLCHERRIME
HONORE · FVLGENS · SVPERNISQVE · INSIGNIBVS
DIVES · THESAVRIS · OMNIBVS
VIRTVTE · POTENS · MVNERATOR · SPLENDIDE
CONTRA · INSIDIANTES · HOSTES
TVAE · NOS · TVTELAE · CREDITOS
SERVA · TVERE · VINDICA

O · VICTOR · HOSTIVM · MAXIMORVM · MAXIME
CVI · FVROR · CESSIT · IMPIVS · REBELLIVM
OBMVTVITQVE · VIS · DEPVLSA · TARTARI
PERGE · TRIVMPHATOR · INCLITE
PERGE · RABIDOS · COMPESCERE
EREBOQVE · CLAVDE · RVRSVM · MINITANTES

INVICTE · VBIQVE · OMNIBVS · VICTORIIS
VENI · O · SOLATOR · EXTREMORVM · TEMPORVM
VLTIMA · QVOQVE · TE · VICTORIA · MANET
ANTICHRISTI · CAEDES
OMNIBVS · FINEM · ADLATVRA · CLADIBVS
EXINDE · TV · PRAESENTES
DE · SANCTIS · ADVOLANTES · ARCIBVS
FAC · NOS · VICTORI · PLAVDERE
CAELESTIS · SOCIOS · FELICITATIS

VNVS · QVI · IVDEX · OMNIVM
SVPREMO · DIE · VBI · REORVM · CRIMINA
VINDICATVRVS · ADERIT
EXPLICA · SANCTE · SIGNIFER · VEXILLVM
VT · TE · SEQVAMVR · AVSPICEM
PARTA · VICTORIA · LAETI
ET · DEBELLATIS · IMPIORVM · GREGIBVS
PAREM · CAELESTIBVS · ADPETAMVS · GLORIAM

O · BEATORVM · CAELITVM
MIRABILES · EXERCITVS
QVIS · NVMERVM · QVIS · VESTRA · NOSSE · MERITA
QVIS · VIRES · ADSEQVI · MENTE · QVEAT
SED · TANTORVM · PRINCIPVM
HOC · DIDICI · TE · MAGNVM · ESSE · PRINCIPEM
QVANTVS · ES · MIHI · SANCTE · MICHAEL
QVI · PRAESTO · TAMEN · ADES · INVOCANTI

TE · PROTEGENTE · MICHAEL
NON · ATRA · MORBORVM · COHORS
NON · IPSA · PESTILENTIAE · VIS · ME · TERREAT
QVID · HOSTILES · INGRVANT · SI · COPIAE
ASSYRIORVM · ME · CLADES · EDOCET
QVID · TVA · POSSIT · DEXTERA
VNA · QVAE · CVNCTOS · NOCTE · SVSTVLIT

O · PRINCEPS · ALME · MICHAEL
QVANDO · QVID · PETAM · NOSTI · VNVS · MAXIME
AVDI · CLAMANTEM · INTVERE · SVPPLICEM
VOLO · ME · AMES · VOLO · ME · IPSE · COGITES
SIM · TVVS · AEVVM · DVM · BREVE · LABITVR
IDEM · ME · DEIN · MERENTEM
SANCTAS · AD · SEDES · TRANSFERAS

ALTOR · VIRTVTVM · MICHAEL
ET · CVSTOS · INNOCENTIAE
AVDI · DE · CAELO · QVOD · VOVEMVS · SVPPLICES
TE · PRIMVM · PVERI · QVI · NOVIMVS
VITAM · NIMIRVM · VT · VIVAMVS · PVRITER
ET · MALOS · VT · VITEMVS · INSIDIARVM · DOLOS
CAELESTEM · PATRIAM · PARATI
MVTARE · TECVM · OMNIBVS · DIVITIIS

RESPICE · SANCTE · MICHAEL
IAM · GRAVES · ANNIS
JAM · CANOS · MORTE · INGRVENTE · SENES
HI · TE · VOCANT · INCLAMANTQVE
ALME · DVCTOR · DECEDENTIVM
AGE · IN · PATRIAM · QVAM · QVAERVNT · SVSCIPE
LAVS · HAEC · ET · GLORIA · TVA
NVLLI · DEFVISSE · SVPPLICANTI

Hic demum opellae nostrae sit finis, ne plura jam et majora disserendo audere videamur, quam ipsa rerum magnitudo ferat, et tantae amplitudini favere possit. et pauca quidem, Michaël sanctissime, de laudibus tuis delibare ausi sumus: ea tamen ipsa ejusmodi sunt, ut nemo aequare dicendo possit. ecquis enim dignitatem unquam tuam, vel honores, vel res gestas, vel merita ipsa ita attigit, ut quantum par esset, ea vel mente adsequeretur, vel oratione explicaret? itaque sublimia haec et maxima venerati, hoc potius a te supplices petimus, ut de amore tuo erga nos, deque tuo nostrae felicitatis studio gaudere patiaris: qui nempe nos omnino ita diligis, ut aeternae vitae socios perpetuo esse velis, et tecum jam caelestium praemiorum participes destinaveris. respice igitur nos in primis cultores tuos, qui plurimum de tuo patrocinio laetantur; auge idem religionem omnium, pietatem tuere, fac ut inania quaeque et aliena negligant, rerum divinarum cognitione delectentur, te ipsum sibi magno animo ad imitandum proponant: ita fiet, ut de beneficiis tuis nihil pereat, et quae te fautore incohata divinitus sint, ea denique perfecta videamus.

EXPLICIT.

TESSERAE PASCHALES

LECTORI

MICHAEL FERRUZZIUS.

Tesserae Paschales quae sint, et quo consilio a Morcello exaratae, omnibus facile ex ipso nomine innotescet: at quomodo in manus meas primum devenerint, ac subinde ad illas evulgandas animum adjecerim, non item. de his propterea, Lector candide, paucis te monitum volo, ne scilicet praetermissione mea laudis partem, quae ad me nullo modo attinet, in me ipsum derivare velle videar. neque enim dissimulandum puto me tesseras hasce Andreae Andreio (1) *acceptas debere; quem paucis abhinc mensibus una cum Paullo Bedoschio* (2) *Bononiae ex itinere subsi-*

---

(1) Hic ille est Andreius, quo potissimum curante Morcelli nostri Electorum libri duo, et Parergon inscriptionum in lucem jam prodiere. quanti porro virum hunc ingenio aeque ac moribus spectatissimum Morcellus faceret, discere licet ex epistula Parergo praeposita, in qua juventutis Clarensis princeps appellatur. quae scilicet laus eo pluris aestimanda est, quod a viro profecta nunquam ornatius dicente, quam veritas ipsa ferat.

(2) De hoc semel iterumque mentio est in Agapeis, quorum editio illi debetur uni. Bedoschius autem a Morcelli excessu Praepositus Ecclesiae Clarensis merito renunciatus est; qua quidem renunciatione Clarenses universos mirifice laetatos accepimus: norant quippe viri pientissimi vigilantiam et adsiduorum laborum patientiam, ex quo Canonici Curionis munus in Basilica Faustiniana obire coepit.

stentem quum convenissem, et sermo inter nos de Morcello injectus esset, perhumaniter ille pollicitus est se missurum mihi inscriptiones hasce, quas Morcellus singulis ferme annis, quibus Ecclesiae Clarensi praefuit, mira quadam varietate concinnaverat, ut viritim iis diriberet, qui e populo suo ad sacram Synaxin per Paschales ferias accessuri essent, eorumque animos ad religionis pietatisque officia excitaret. et Andreius quidem, qua est benignitate prorsus singulari, celerius opinione promissum solvit suum. ego vero, qui nuperrime negotiatori huic librario nostro auctor fueram, ut Agapea et Michaelia uno volumine excuderet, haud abs re fore duxi Tesseras Paschales iisdem subtexere, id quod ipsae etiam jure quodam suo postulare videbantur. nihil enim opportunius atque utilius esse intelligebam, quam in unum isthaec congerere, quae minutissimis schedulis impressa quum vagarentur, haud difficile aliquando factu erat, ut schedulis vel partim vel omnino amissis, non exiguum ex earum amissione latinae litterae detrimentum facerent. benevole igitur accipiant, qui Morcelli nomen permagni habent, meam hanc, qualiscumque est, diligentiam; quum namque pauca ingenio praestare ipse possim, quod diligentia possum, id saltem praestare mihi semper sollemne erit.

ANNO · M · DCC · LXXXXVI ·
SANCTA · DE · ALTARI · LIBAVI
ACTO · PASCHATE · CVM · CLARENSI · POPVLO · DEI
IN · BASILICA · FAVSTINIANA

FESTIS · PASCHALIBVS · ANNI · M · DCCC · III ·
IN · BASILICA · FAVSTINIANA · ECCLESIAE · CLARENSIS
D · N · IESVS · MENSA · ME · SVA · DIGNATVS · EST

PASCHA · QVOD · EGERIS · CVM · CLARENSI · POPVLO
AN · M · DCCC · IIII · IN · BASIL · FAVSTINIANA
TESSERAM · HABE · CATHOLICAM · DE · MENSA · DOMINI

AN · M · DCCC · VI · ADFVI · IN · BASIL · FAVSTINIANA
AD · PASCHA · SANCTVM · CVM · CLARENSI · POPVLO
ET · PAVIT · CHRISTVS · ME · DE · MENSA · SVA

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · VII ·
DOMINVS · ET · DEVS · MEVS · IESVS
PAVIT · ME · DE · MENSA · SVA
AGENTEM · PASCHA · CVM · CLARENSI · POPVLO · EIVS
IN · BASILICA · FAVSTINIANA

ANNO · M · DCCC · VIII ·
PASCHATE · INDICTO · IESVS · ME · DEVS · CONVIVAM
BENIGNE · ACCEPIT · INTER · CLARENSES · SVOS
IN · BASILICA · FAVSTINIANA

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · VIIII ·
DOMINVS · ME · IESVS · CATHOLICI · PASCHATIS · MENSA
DIGNATVS · EST · INTER · CLARENSES · SVOS
IN · BASILICA · FAVSTINIANA

TESTIS · MIHI · BASILICA · FAVSTINIANA · CLARENSIVM
QVOD · ME · DOMINVS · DEVSQVE · MEVS · IESVS
AN · M · DCCC · X · PER · PASCHALES · FERIAS
CAELESTI · CONVIVIO · DIGNATVS · EST

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XI ·
INTRA · PASCHALES · FERIAS
GVSTAVI · DONVM · CAELESTE
IN · BASILICA · FAVSTINIANA · CLARENSIVM

ANNO · M · DCCC · XIII ·
FERIAE · QVVM · ESSENT · PASCHALES · SVPPLICEM · ME
BASILICA ·· FAVSTINIANA · CLARENSIVM · VIDIT
ET · DOMINVS · MEVS · IESVS
PAVIT · ME · DE · MENSA · SVA

ANNO · M · DCCC · XIIII · F · F ·
ME · QVOQVE · PASCHATE · INDICTO · CONVIVAM
VIDISTIS · O · CLARENSES · DIVINAE · MENSAE
IN · BASILICA · FAVSTINIANA · CLARENSIVM

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XV ·
BASILICA · ME · FAVSTINIANA · CLARENSIVM
ACCEPIT · SVPPLICEM · ET · REX · MEVS · IESVS
DONIS · PASCHALIBVS · DE · MENSA · SVA · MVNERAVIT

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XVI ·
PER · PASCHALES · FERIAS · DONVM · ACCEPI
TE · IPSVM · IESV · SVAVISSIME
CLARIS · IN · BASILICA · FAVSTINIANA

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XVII ·
PASCHATE · INDICTO · DATVM · ET · MIHI · EST
VT · CAELESTI · CONVIVIO · INTERESSEM
IN · BASIL · FAVSTIN · CLAR ·

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XVIII ·
ACCESSI · PER · PASCHALES · FERIAS · AD · BASIL · CLARENS·
IBI · DOMINVS · MEVS · IESVS · CHRISTVS
CAELESTI · CONVIVIO · ME · QVOQVE · DIGNATVS · EST

ANNO · M · DCCC · XVIIII ·
PASCHATE · INDICTO · GAVDETE · CLARENSES
VOS · DOMINVS · IPSE · IESVS · IN · BASILICA · NOSTRA
AD · CAELESTE · CONVIVIVM · SINGVLOS · ADESSE · IVBET

ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XX ·
FERIIS · PASCHALIBVS · INDICTIS
ME · QVOQVE · APVD · CLARENSEM · BASILICAM
CAELESTI · CONVIVIO · DIGNATVM · SCITO

---

(1) ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XXI ·
TESTIS · MIHI · ESTO · BASILICA · FAVSTINIANA
PER · PASCHALES · FERIAS · ME · QVOQVE · APVD · CLARENSES
CAELESTIS · EPVLI · PARTICIPEM · EXSTITISSE

---

(1) Morcellus qua erat sedulitate in muneris sui partibus explendis, Tesseras Paschales pro annis MDCCCXXI·, et MDCCCXXII· praescripserat; sed maximo Europae nedum Italiae moerore decessit ipsis Kalend· Ianuar· an· MDCCCXXII· quum esset annorum LXXXIII· mensium XI· dierum XV·

ECCE · FERIIS · PASCHALIBVS · ANNI · M · DCCC · XXII ·
IESVS · IN · BASILICA · NOSTRA · SVPPLICANTEM
DONO · ME · SVO · CAELESTI · DITAVIT

---

(2) ANNO · CHRISTIANO · M · DCCC · XII ·
DISCE · EX · TESSERA · DATVM · MIHI · PASCHALE · DONVM
IN · BASILICA · FAVSTINIANA · CLARENSIVM

---

(2) Superiorum tesserarum editio jam confecta erat, quum haec quoque ad manus meas pervenit. itaque hîc illam, quamvis ordine haud apto collocatam, subjicere potius visum est, quam omnino praetermittere.

INDEX

Phrasium et Verborum dictionis notatu dignioris, quae passim in tribus libellis occurrunt, adjecta vernacula interpretatione.

A. littera *Agapea* designat, M. *Michaëlia*, T. P. *Tesseras Paschales*.

A

ee derivata dal greco ἀρχιστρατηγὸς, che significa generale, comandante.

A sacris Domus Pontificalis. *A.* » 16. *Capellano del Palazzo Papale.*

Australis porta. *A.* » 13. *Porta che guarda il mezzodì.*

Area templi suprema. *A.* » 22. *Quello spazio della Chiesa occupato dal Coro.*

B

Basilica Faustiniana Clarensis, *vel* Clarensium. Basilica Clarensis. *T. P. passim. Chiesa Collegiata de' SS. Faustino e Giovita in Chiari.*

Bifariam. Mensae bifariam in longum productae quantum Basilica porrigitur. *A.* » 22. *Panche disposte in due file per tutta la lunghezza della Chiesa Collegiata.*

Bipartito. Longa serie bipartito perstabant. *A.* » 21. *Stavano divise in due lunghe file.*

C

Caelestium habitu (pueri). *A.* » 20. *Fanciulli vestiti, come si figurano gli Angeli.*

Canonici Mariales. *A.* „ 21. *I Canonici della Chiesa di S. Maria.*

——— Seniores. *ibid. I Canonici più anziani.*

Cella Eucharistica. *A.* » 22. *Capella del Santissimo Sacramento.*

—— Michaëliana. *M.* » 51. *Capella di S. Michele.*

Clientes novi. *M.* » 47. *Nuovi devoti.*

Commeatu impetrato. *A.* » 42. *Ottenuto il congedo.*

Convivium caeleste. *T. P. passim. Santissima Eucaristia.*

Corona subjecta. *M.* » 52. *Aggiuntovi inferiormente il cornicione.*

Cultores tanti Patroni. *M.* » 69. *I Devoti di sì gran Protettore.*

Collegium Faustinianum. *A.* » 21. *Il Capitolo della Chiesa Collegiata de' SS. Faustino e Giovita.*

D

Decusso, as. Decussatis candelis lustrentur. *M.* » 61. *Siano benedetti con candele*

disposte a modo di croce.

Defluo, is. Quum populus ... defluxisset. *A.* » 18. *Non essendovi più affollamento di popolo.*

Designatores. *A.* » 20. *Ordinatori della processione.*

Dies Dominicus alter. *A.* » 34. *La seconda Domenica.*

Dies octavus a sacris sollemnibus duorum Apostolorum. *M.* » 62. *Ottava della festa dei due Apostoli.*

Donarium, i. *A.* » 39. *Offerta, che si fa a Dio, o ai Santi.*

E

Effictus, a, um. Imaginis exemplum in aere effictum. *M.* » 56. *Imagine del Santo incisa in rame.*

Epulum, i. Caelestis epuli participem exstare. *T. P.* » 82. *Ricevere la Santissima Eucaristia.*

Evangelio prolato. *A.* » 23. *Cantato il Vangelo.*

Expiare rite labes animi. *A.* » 22. Expiari poenitentia. *A.* » 15. *Confessarsi.*

Expiatus, a, um. Rite expiatum (Hypogeum). *A.* » 13. *Benedetta secondo i riti della Chiesa.*

F

Facio, is. Sacrum facere. *A.* » 12. Sacrificium facere. *A.* » 25. *Celebrar la Messa.*

Feriae Paschales. *T. P. passim. Tempo Pasquale.*

Feriae sextae tres continentes. *A.* » 34. *Tre Venerdì consecutivi.*

Fornix anaglyptis ornatus. *M.* » 52. *La volta fu abbellita di lavori a basso rilievo.*

Forum, i. Res in forum deducta est. *M.* » 51. *Si ebbe ricorso ai tribunali.*

Franciscales Patres. *A.* » 21. *I Padri di S. Francesco.*

Franciscus Pater. *M.* » 64. *S. Francesco d' Assisi fondatore di Ordine religioso.*

Funeratus, a, um. Ictu arboris prope funeratus. *A.* » 41. *Quasi ucciso da un albero che cadde.*

G

Gusto, as. Gustavi donum caeleste. *T. P.* » 80. *Ricevetti la Santissima Eucaristia.*

H

Haereo. Vox faucibus haeserat. *A.* » 43. *Aveva perduta la favella.*

Hypogei frons. *A.* » 29. *Facciata della Chiesa sotterranea.*

Hypogeo quaquaversum collucente. *A.* » 28. *Illuminata tutta quanta la Chiesa sotterranea.*

Hypogeum Callisti. *A.* » 24. *Cimitero di S. Callisto Papa in Roma.*

I

Iacobus Adelphoteus. *M.* » 58. *S. Iacopo minore Apostolo fratel cugino di G. C.*

Iejunium quadragenarium. *M.* » 64. *Quaresima.*

Includo, is. Muro infra inclusus est (lapis). *A.* » 24. *Fu incastrata inferiormente nel muro.*

Intervertere pecuniam. *M.* » 51. *Intercettare, trattenere il danaro.*

L

Labarum, i. *A.* » 21. *Stendardo: quel segno a foggia di banda, che portano innanzi alcuni Cleri, quando vanno processionalmente.*

Lapìs auspicalis. *M.* „ 51. *La prima pietra de' fondamenti.*

Laudatio, onis. Ab Evangelio pronunciata laudatio est diserti oratoris. *M.* » 54. *Dopo il Vangelo da valente oratore fu recitato il Panegirico.*

Libare sancta de altari. *A.* » 15. *T. P.* „ 79. *Ricevere la Santissima Eucaristia.*

Lipsana Martyrum. *A.* » 21. *Le reliquie de' Martiri.*

Lipsanorum sacrorum anniversaria sollemnia. *A.* » 34. *L' annua festa delle reliquie dei Santi.*

Loculus Martyris. *A.* » 24. *Il luogo del sepolcro della Martire.*

M

Martyres ignoti. *A.* » 11. *Martiri senza nome.*

Magistri doctrinae Christianae tradendae. *A.* » 20. *I maestri della Dottrina Cristiana.*

Remissio, onis. Poenae omnis remissio iis (est), qui rite expiati supplicatum accesserint. *A.* » 32. *Evvi indulgenza plenaria per chi confessato e communicato visiterà la Chiesa.*

S

Sacrum sollemne Episcòpo adstante. *A.* » 23. *Messa cantata coll' assistenza del Vescovo.*

Septum marmoreum. *A.* » 29. *Balaustrata di marmo.*

Signum adfabre elaboratum. *M.* » 60. *Statua di ottimo scalpello.*

Signum, i. Ut arcae signa recognosceret. *A.* » 18. *Per verificare i sigilli della cassa.*

Sodales Albati. *A.* » 18. *Fratelli Bianchi.*

——— Atrati. *ibid. Fratelli Neri.*

——— Russati. *ibid. Fratelli Rossi.*

Sodalitas, tis. Sodalitates in templum venerant sanctae Synaxeos caussa. *A.* » 22. *Le Confraternite eran venute in Chiesa per ricevere la Santissima Comunione.*

Sororio, as. Ambas perendie sororiantes (nutrices) sensit. *A.* » 42. *Dopo due giorni si avvide, che amendue erano sane.*

Subselliarium, i. *A.* » 22. *Stalli del Coro.*

Supplicatio, onis. Statae supplicationes ob impetrandam agrorum fertilitatem. *M.* » 59. *Rogazioni minori.*

Suspendo, is. Pluvias suspendit. *A.* » 43. *Fè cessare le pioggie.*

Synaxis, eos. Synaxin peragere. *A.* » 22. *Ricevere la Santissima Eucaristia.*

T

Tabellae votivae. *A.* » 27. *Tavolette, che si appendono il più spesso alle pareti delle capelle a memoria di grazie ottenute da Dio per intercessione di qualche Santo.*

Tabula Teosiana. *M.* » 55. *Quadro dipinto dal Teosa.*

Tentorium, i. *A.* » 21. *Baldacchino.*

V

INDICES

RERUM VERBORUMQUE

QUAERENDORUM CAUSSA.

CONSPECTUS

EORUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.